



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvtaones Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvatio II. De existentia & essentia Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

## DISPUTATIO SECVNDA

## De Existentiâ &amp; Essentiâ Dei.

- Sectio I. *An, & quomodo constet Deum esse?*  
 Sectio II. *Quomodo possit esse de fide Deum esse?*  
 Sectio III. *Quibus argumentis naturalibus probetur efficaciter & demonstratiue Deum esse?*  
 Sectio IV. *Continuatur predicta demonstratio, & respondetur alijs Atheorum effugijs.*  
 Sectio V. *Eadem veritas probatur ex Vniuersi fabrica.*  
 Sectio VI. *Probatur item ratione morali.*  
 Sectio VII. *Nota circa discursus precedentes, & utrum existentiâ sit de Dei essentiâ.*



E argumento proposito disputat S. Thom. q. 2. vbi art. 1. docet hanc propositionem, *Deus est*, esse quidem per se notam secundum se, quia predicatum illius includitur in ratione subiecti: existentia enim est de essentiâ Dei. Sed non esse per se notam quoad nos: quia non est nobis per se notum, & ex terminis ipsis, quod illius predicatum sit de ratione subiecti. Secundò, demonstrari posse quod Deus sit: non quidem à priori, id est, per causam, quia Deus non est vi alicuius causæ: sed à posteriori, per eius effectus nobis notos, quibus tanquam certis indicijs deducimur in illius cognitionem. Tertio, quinque vijs probari posse, & demonstrari quod Deus sit. Primò scilicet, quia necessarium est dari aliquod primum mouens, quod à nullo moueatur. Secundò, quia in ordine causarum efficientium, necessarium est dari aliquam primam. Tertio, quia impossibile est omnia entia esse contingentia, & posse non esse: quare datur aliquod ens necessarium, & quod non potest non esse. Quarto, quia debet esse ens aliquod verissimum & optimum & nobilissimum; in ordine ad quod cætera dicantur magis & minus vera, bona & nobilia; quodque sit maximè ens, sicut est maximè verum & bonum: & consequenter sit causa cæterorum entium, cuiusque honoris & perfectionis, quam participant. Quintò, quia cum res etiam inanimata, & carentes cogitatione, operentur propter finem, ut experientiâ cernimus: debet esse aliquid intelligens, à quo res omnes naturales ordiantur ad finem: & hoc dicimus Deum. Hæc D. Thom. quæ sequentibus sectionibus explicanda nobis, & confirmanda sunt.

SECTIO I.

De Quomodo constet Deum esse

**I.** **CONCLUSIO.** Et fide diuina, & natura ratione certissime constat Deum esse. Declaratur & probatur conclusio. Primum quod diuina reuelatione probari possit efficaciter Deum esse, patet, quia Deus reipsa, ut alia multa, sic & seipsum esse testificatus est, ut cum Exod. 3. v. 6. Deuter. 5. v. 6. & alijs scripturam, se Deum esse dixit, eiusque dicti veritatem miraculis & signis sufficientibus confirmat: ut nunc etiam non raro, ad veri Dei invocationem & ad eius imperium eijciuntur Demones, & alia nra patrantur, quae sunt diuina & supernaturalia eiusdem veritatis indicia certissima. Vel enim nihil apud homines creditum dignum est propter aliorum testimonium; vel certissime credendum est testimonium; quae tam potentibus argumentis nituntur, qualia sunt miracula, plurima & illustria, summam Dei potentiam & sapientiam manifestantia: quae tam multa sunt facta, tamque multorum linguis & literis celebrata: ut si quis illud neget, debeat consequenter negare quidquid homines credere solent alijs referentibus. Ita denique uulgatum est plurimis veterum monumentis, uisum esse ferè orbem à falsa inanum Deorum religione ad veri Dei cultum fuisse conuersum, per argumenta illa diuina & supernaturalia; ut si quis illud in dubium reuocet, non habeat cur quidquam ulli mortalium credat. Est autem manifestè contra rationem & contra lumen naturale, nolle quicquam ullis referentibus, seriòque affirmantibus credere; nolleque fidem habere alijs, in ijs circumstantijs, in quibus quicque sui haberi uellet.

Confirmatur, quia fide diuina & supernaturali credendum est quod Deus sit, & quod inquirentibus se remunerator sit. Ergo id certissime constat fide diuinâ, id est, diuino testimonio sufficientibus & certissimis argumentis credibilitatis manifestato. Aliquis enim non possit credi fide diuinâ & supernaturali. Antecedens habetur tum in Symbolo fidei Apostolorum, cuius primus articulus est, *Credo in Deum*: tum ex Apost. ad Hebr. 11. v. 9. *Accidentem ad Deum oportet credere quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Vbi notandum primò, Paulum hæc duo distinguere, nempe quod Deus sit, & quod inquirentibus se remunerator sit: quare utrumque etiam distinctè credendum est: & utrumque per se scorsim ab altero est materia fieri. At proinde hoc ipsum est de fide, quod Deus sit. Nota secundò, Apostolum loqui de fide diuina & supernaturali, id est, de fide iustificante: quia loquitur de fide per quam iustus uiuit uerâ supernaturali, ut patet, tum ex v.

Fide diuina certissime constat Deum esse.



38. cap. precedentis, unde inchoat discere sum de fide quem toto capite sequenti continuat, & sic de fide illa pronunciat, *Iustus autem meus ex fide uiuit*: tum etiam quia loquitur de fide sine qua placere Deo non possumus: & per quam Sancti Deo placuerunt, id est, Deo grati fuerunt, & iustitiae, quae per fidem est, hæredes instituti sunt: per quam denique Sancti uicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt reuersionem, obruta uerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, &c. ut ait Apost. toto illo cap. 11. præcipue v. 9. 7. & 33.

Secunda pars conclusionis, quod etiam lumine rationis naturalis, & argumentis naturaliter citra Dei reuelationem notis, Deum esse probari possit certè & efficaciter, patebit infra experientiâ; asseriturque à D. Paulo Rom. 1. dum sic ait, *Quod notum est Dei, manifestum est in illis* (scilicet Gentilibus quibus reuelationes factæ non sunt) *Deus enim illis manifestauit* (lumine scilicet naturali, cuius Deus author est, philosophante ab effectibus naturalibus, de quibus subdit) *Inuisibilia enim ipsius* (Dei scilicet) *à creaturâ mundi; id est, ab homine, uos etiam à rebus creatis, obiectiue, per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna quoque eius uirtus, & diuinitas; ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt.* Et Act. 14. v. 16. *Et quidem non solum testimonio, et ipsum reliquit* (Deus) *benefacientis notis de celo: dans pluuia &c.* Et Sapient. 13. v. 5. *A magnitudine enim speciei & creaturæ cognoscibiliter* (Grecè *ἀναλόγως* id est, cum cognitione discursiua, ex excellentia & nobilitate effectus inferente per analogiam & proportionem, existentiam & nobilitatem causæ) *poterat creator omnium uideri.* Ibidemque Sapiens uanas appellat Gentes quæ notitiam Dei ex uniuersi fabrica assecuta non sunt. Ex quibus uerbis ritè perceptis, & propiè, quoad fieri potest acceptis, constat ex Dei operibus ueritatem illam adeo innotescere, ut sine inexcusabiles qui non assentiuntur: imo & euidentem esse, propter uerba manifestandi, uidentis & conspiciendi, quibus Paulus & Sapiens cum tanta emphasi in tali materia utuntur. Unde Hieronym. ad primum Pauli locum, tam euidenter, inquit *intellecta sunt, ut conspecta dicantur.* Et August. tract. 2. in Ioan. *Deus, inquit, potest inueniri per creaturâ euidenter, & certe solo, inuisibilia enim Dei &c.* Et Gregor. Nazianzen. orat. 20. de Theol. paulo pòt. inueniunt. *Quomodo, quisquam es ista, am pulcherrime, constructam & elaboratam conspiciens, eiusque conformationem & constitutionem, quæ etiam cythara cantum audiens, nihil aliud quam ipsius cythara conditorem atque cytharæ adam mente reputat, atque ad eum cogitatione fertur, etiam si de facie ipsi ignotum, eodem quoque modo is quæ res uniuersas procreauit, & que mouet atque conseruat, sese declarat: etiam si animis nostris comprehendendi nequeat. Ac nimis profectò absurdus & preposterus est, quisquis non huc usque sua sponte progreditur, nec argumentis naturalibus credit.* Et Basil. de seuerâ in orat. de Verbi Incarnat. quæ habetur tom 2. Bibliothec. Pa-

3. Lumine naturali euidens est Deum esse.

Hieronymi Augustini Nazianzen. Basil. Seleucia. Maximus Miro. Basil.

trita; Ex procreatarum rerum magnitudine, & pulchritudine, illarum molitor & opifex certa quadam ratione dignoscitur. Et S. Maximus centur. 3. cap. 1. *Conspicua creatura, inquit, claram praebeat notitiam quod sit conditor, ac non qualis sit.* Et Minutius Felix in Octauio, *Quid potest esse tam aperitum, tam confessum, tamque perspicuum, cum oculos in caelum susuleris, & quae sunt infra, citraque illustraueris, quam esse aliq. numen praestantissima mentis, quo omnis natura inspiretur, moueatur, alatur, gubernetur?*

Alliacens.  
Maior.  
Gabriel.  
Vasquez.  
Gillius.  
S. Thomas

Quare non assentior Alliacensi, Maiori, Gabrieli, & quibusdam alijs Nominali. In 1. dist. 2. Vasq. disp. 20. n. 8. Gillio lib. 2. tract. 8. cap. 5. n. 5. & 6. quorum priores, nempe Nominales, negant Deum euidenter demonstrari posse demonstratione aliqua naturali. Sed hanc sententiam merito damnat erroris S. Thom. 1. contra Gentes, cap. 12. initio; & Molina; Vasq. Fafolus, alijque Recent. ad art. D. Tho. cit. censent esse parum in fide tutam, & temerariam. Posteriores aiunt non esse certum in Scriptura, neque de fide, Deum posse ex creaturis euidenter inferri & cognosci, quoad est, quia putant loca Scripturae supra citata & expensa, id non continere. Ad quod probandum adducunt alia scripturae loca, in quibus verba manifestandi, & videndi, non sumuntur pro vera & simplici euidencia, sed pro fide vel opinione. vt Ioan. 17. v. 6. *Pater manifestauit nomen tuum hominibus, id est, nomen feci per fidem, quae est cognitio ineuidens.* Eccles. 8. v. 22. *Non omni homini cor tuum manifestes:* nempe per fidem humanam, vel per opinionem; neque enim homines ex alterius manifestatione sciunt euidenter quid in recessu cordis illius sit. *Vidimus gloriam eius* (Christi) *gloriam quasi unigeniti a Patre,* Ioan. 1. *Videbit omnis caro salutare Dei,* Luc. 3. v. 6. quae duo loca de notitia Christi, vt filij Dei & Salutatis in hominum, intelligenda sunt; de notitia, inquam, per fidem; neque enim habemus huius rei notitiam simpliciter euidentem. Nec obest, inquit, quod scriptura vocet inexcusabiles, & stultos, & insipientes, & vanos, eos qui non acquiescunt huic veritati, Rom. 2. 1. 13. & Sapientia 13. Nam etiam Christus vocat Iudaeos inexcusabiles, quod sua praedicationi, tot miraculis confirmata, non crederent, Ioan. 15. v. 22. Et quicumque non credunt Euangelio, sufficienter annuntiato, sunt pariter inexcusabiles, & vani, & stulti, sive insipientes, & insipientes; quatenus manifestarationi auerterentur, non credentes id quod credibile factum est tot tamque illustribus argumentis credibilitatis, vt nullus nisi solidus possit illis rite propositis, & bene perpensis resistere.

Ad quae Respondeo, scripturae verba esse, vt sonant, in proprio sensu intelligenda quantum fieri potest, id est, quantum textus subiecta materia; si neque alius scripturae locus repugnet incompatibiliter, neque traditio, vel definitio Ecclesiae, vel absurdeas manifesta rogat recurrere ad sensum improprium. Haec enim est regula generalis in-

Scriptura  
ad et cui  
bens  
in si Deo  
esse

terpretandi scripturas diuinas, a S. August. August. tradita, lib. 3. de doctrina Christiana, cap. 10. & ab omnibus Catholicis recepta, sine qua nullum ex scripturae verbis firmum argumentum deduci potest, & cuius defectu Haeretici omnes ad suos errores confirmandos scripturis abutuntur. Atqui in ijs scripturae locis, quae citauimus, materia subiecta fert euidentem demonstrationem naturalem: Est enim sermo de materia quae certitudine & euidentiam naturalem habere potest; per demonstrationem ab effectis ad causam, imo habet reipsa, vt fateatur ipsemet Vasques, qui damnat temeritatis Nominales oppositum asserentes; & nullus alius Scripturae locus repugnat incompatibiliter tali expositioni: nam quod in alia materia diuersa, ad fidem diuinam vel humanam, vel ad opinionem manifeste pertinente, verba videndi & manifestandi, sumantur improprie, vt in locis in obiectone allatis, non impedit quod minus alibi possint accipi proprie. Traditio quoque, vel definitio Ecclesiae, vel absurditas non cogit recurrere ad sensum improprium. Nam potius Traditio & doctrina Sanctorum Patrum fauet manifeste nostrae expositioni. Ecclesiae definitio nulla est in contrarium, nec vlla absurditas potest opponi legitime. Sic autem multo magis sunt inexcusabiles, & stulti, & vani & insipientes, vt ait Scriptura, qui resistunt huic veritati simpliciter euidenti naturali lumine. Quamuis etiam, sufficienter, inexcusabiles sint, & insipientes, ac stulti, qui se hinc diuinis reuelationibus illustratis & confirmatis per tot tamque illustria argumenta credibilitatis bene proposita, quamuis non simpliciter euidentibus, sed tantum euidentia credibilitatis, id est, euidenter credibilibus.

Neque enim assentior nonnullis affirmantibus, argumenta credibilitatis gignere simplicem euidentiam veritatis rei reuelatae. Primum quia iam non essent argumenta credibilitatis, sed euidentia. Secundum, si quaeretur assensum fidei esse euidentem simpliciter. Niteretur enim motiuo formali euidenti simpliciter, & aequivaleret huic discursui. Quidquid Deus reuelauit est verum: Sed Deus reuelauit v. g. se esse Trinum, aut Verbum esse incarnatum, ergo illud est verum. Quae conclusio est euidentis simpliciter, & scientifica, si ambae praemissae sunt simpliciter euidentes, vt essent in illo casu. At assensus fidei est obsecutus ex natura sua, vt docent communiter Theologi, sumuntque ex Apoc. Hebr. 11. *Est autem fides sperandarum substantiarum rerum, argumentum non apparentium, id est, non euidentium:* Et alioqui non potest reddi ratio cur fides in Christo non fuerit, & non sit in Beatis. Dicere autem, quod fidei assensus si nihilominus obsecutus; quia fides non assentitur propter reuelationem tam clare cognitam, & tam bene perceptam, vanum est. Quasi vero credens debeat sponte auertere vel claudere oculos, ne tam clare videat diuinam reuelationem & eius argumenta, vt det locum si-

Argumeta  
credibilita-  
tis non gi-  
gnunt sim-  
plicem eui-  
dentiam.

Trident.  
Arausic.

dei supernaturali; cum tamen illa argumeta eo sine a Deo exhibeantur, vt eorum luce illustrata sentiri possit rei reuelata per assensum fidei supernaturalis. Et quod amplius est, haec euasio repugnare videtur Trid. sess. 6. c. 8. & can. 3. & Arausic. can. 7. quae Concilia definiunt generaliter ad credendum fidei diuinae, necessariam esse prauiam inspirationem & illuminationem Spiritus sancti, vt licet iuueniatur ad melius percipiendam motiua credibilitatis, & obiectum formale fidei, quam possimus solis viribus naturalibus. Atqui si argumenta credibilitatis essent simpliciter euidentia, & quidem ita vt ad credendum sit opus claudere oculos tantae euidentiae, non egeremus inspiratione & illustratione Spiritus sancti; illustratione, inquam, id est, auxilio quo illustrentur & clariora ac puriora fiant, quam possint esse viribus solis naturalibus, per quas tamen attingi possent euidenter, si essent simpliciter euidentia. Neque, vult quod responderetur, requiri inspirationem & illustrationem Spiritus sancti, non ad clarius cognoscendum, sed vt credens se submittat authoritati diuinae. Nam manifeste, & ex vivocis, Illustratio, seu Illuminatio, est ad illustrandum & illuminandum, id est: clarius reddendum id quod illustrat. Et alioqui Concil. Arausic. can. 8. debebat dicere ad credendum egere nos humiliatione; potius, quam egere illustratione.

### SECTIO III.

Quomodo possit esse de Deo esse

**S**uperiori doctrinae, qua parte diximus naturaliter demonstrari posse, & euidenter cognosci Deum esse, non obest quod aliqui Deum esse negauerint, & nunc etiam negent. Nam quidquid est euidentis non est tale respectu omnium, siue quia non omnes attendunt ad vim demonstrationis, siue quia non eam percipiunt, vel ex defectu naturalis ingenij, vel ex mala passione aliqua, qua praesertim excitantur Athei & Politici huius temporis. Enimvero demonstratio qua probatur euidenter Deum esse, eger docilitate, & aequitate iudicij, atque ingenij perspicacia. Est enim de earum numero quae longiori egent discursu, & examine accuratiori, vt euidentia veritatis conclusionis tandem eluceat, eruaturque ex multis principijs, aequo, maturo, & subtile iudicio expellitis. Non autem quales sunt multae Mathematicae demonstrationes, quarum praemissa sunt statim per se nota, & cum summa facilitate gignunt euidentiam conclusionis. Non item obest, quod de fide sit Deum esse. Quia id quod est euidentis sub vna ratione, propter medium demonstratiuum, potest sub alia esse non euidentis, & cadere in fidem propter medium tamen credibi-

Demonstratio quod Deus sit, non est omnibus euidentis.

le. Quare licet de fide sit Deum esse, non propterea repugnat id esse demonstrabile.

Dices fieri non posse, vt quis fide diuina credat esse Deum. Si enim credo per fidem Deum esse, ergo ideo credo esse, quia ipse dixit se esse, fides enim diuina supponit Deum dicere; & ideo credit, quia Deus dicit. Ergo iam credo, & suppono Deum dicere se esse. Et quia non potest dicere nisi se, suppono vt notum ante quemcunque actum fidei, Deum esse. Quare impossibile est, vt ex dicto ipsius Dei, credam ipsum esse.

Respondeo primo, quamuis omnia antecedentia vera essent, vltimum tamen consequens male deduci. Tantum enim inferri posset, non posse primo cognosci per diuinam reuelationem, quod Deus sit: non autem quod non possit id denuo cognosci per reuelationem Dei ipsius, prius aliunde cogniti.

Respondeo secundo cum Suare lib. 1. de essentia, & attributis Dei cap. 1. num. 5. quod Deus dicat, supponere quidem ex parte rei ipsum esse, quia non loquitur nisi qui est, vt bene probat obiectio; non tamen supponitur cognitum ex parte credentis, quasi prius debeat cognoscere Deum esse, quam Deum loqui: Potest enim per eandem assensum credere & Deum esse, & ipsum dicere se esse. Imo prius ratione cognoscere potest Deum dicere, quam solum precise cognoscere Deum esse: vt facit is qui ideo credit Deum esse, quia ipse dicit se esse. Licet enim Deum esse, prius sit quam Deum reuelare; tamen non est necesse prius cognosci esse, quam reuelare: sed potest simul vtrumque cognosci, & prius per posterius, quemadmodum causa per suos effectus & operationes proprias innotescunt. Sic inter homines potest qui latet, se voce prodere, & significare se esse: & qui mortuus creditur, pulsu arteriae vel alio motu vitali, significat se viuere: & Raphael Tob. 12. significauit ac persuasit Angelum esse: & Christus Ioan. 4. Samaritanam induxit ad credendum se Messiam esse: & Marc. 6 & Ioan. 20. Apostolis turbatis & existimantibus phantasma esse, se ipso testimonium efficaciter praebuit, dicens, Ego sum. Quare similiter Deus testimonio suo sufficienter proposito, persuadere potest tum se esse, tum licet, tum se tacere, tum tacitum esse, Omnipotentem, aeternum, immutabilem, & cetera omnia creatorem & Dominum.

In actu tamen fidei quo credimus Deum esse, quia ipse dixit, & credibile fecit se esse, duae rationes distinguenda sunt. Prima, qua tendit in obiectum materiale, Deus est. Secunda, qua tendit in rationem formalem, propter quam illi assentitur, nimirum quia Deus hoc dixit, & credibile fecit: & quia licet enim ille assensus istis duobus, qui distincte elicerentur; Deus est: & Deus dixit, & creditur reuelant se esse. Ac sicut in alijs quae mediate, id est, per aliud, veniunt sub assensum, prius scilicet ratione, prioriter

Suarez.  
Quomodo possit cognosci Deum esse quia ipse dicit?

à quò ex parte obiectorum, sub assensum venit, id quod est alteri ratio assentiendi: ita prius saltem ratione assentimur Deum dicere, & eatenus esse; quàm credamus ipsum esse, propterea quòd dixit se esse. Ita ut bis in tali actu cognoscatur Deum esse. Primò immediatè, in dicto seu testimonio credibiliter factò, & per se noto credibiliter; quatenus esse inuoluitur in eo quod est dicere, & qui cognoscit aliquem dicere, hoc ipso cognoscit ipsum esse. Secundò mediatè & per aliud, scilicet quia dixit: vtendo ipsius testificatione, vt ratione formali assentiendi.

II.

Actus quo credimus Deum esse quia ipse dicit, non est inutilis neque circulatoris.

Dices talem probandi modum formalem esse circulearem & inutilem. Respondeo negatiuè, sed ad assensum non negatorium & non circulatorium, præter noticiam diuersitatè, sufficere distinctionem formalem & inadæquatam, qualis est inter vnum conceptum, & alterum explicatè. Item inter conceptum adæquatam, & inadæquatam. Sic ex eo quod Petrus sit homo, infero esse animal rationale: & ex eo quòd sit animal rationale, infero esse animal. Ad assensum verò non inutilem sufficit, si aliquid per se ignotum, aut minus notum, inferatur ex aliquo noto: quamuis vnum in alio includatur. Sic enim vtilis est discursus quo infero, seu cognosco Petrus adhuc viuere, quia seipsum mouet: quamuis viuere includatur in tali motu vitali. Sic ex eo quòd Deus testificatur & loquitur sanabiliter, id est, significando per indicia sufficientia se loqui; inferimus & cognoscimus ipsum esse, quia non posset testificari & loqui, si non esset. Tuncque semper plus est in antecedenti, quàm in consequenti. Cōsequens enim est, Deum esse duntaxat: Antedens autem, vltra Deum, continet eius reuelationem, & argumenta credibilitatis sufficientiã. Similiter qui videret intuitiuè Deum existere, esseque veracem; & simul videret reuelationem alteri factam, quòd Deus existat; posset assentiri Deum existere, quia Deus existens & verax reuelauit. Vbi medium assensus foret, non præcisa existentia Dei, sed adiuncta veracitate & actuali reuelatione.

Hæc doctrina nõ placet quibusdam eruditis recentioribus, qui dicunt licet in alijs omnibus reuelatis agnoscendis vtamur auctoritate Dei reuelantis, cognitio vtalis non tantum in hoc assensu Deus est: sufficit enim auctoritatem nobis proponentem; quamquam reuerentia Dei, apparet nobis tantum vt superioris in omni humana, & dignam omni fide ac veneratione. Quemadmodum in assensu Tobia, quòd ipsum alloquens esset Raphaël Angelus. Vbi non cognitum tantum Raphaël, sed solum tanquam persona fide digna, fuit medium assentiendi. Quando enim homines credunt fide diuina Deum esse, Deus hoc illis, proponendum curat per auctoritatem aliquam redolentem aliquid cælestè: & necessariò præcedit diuina illuminatio Spiritus sancti, proponentis propositionem credendam, quæ illuminatio est

quædam Dei locutio; & sequi illius ductum, est assentiri Deo.

Fundamentum eorum est, quia putant esse impossibile credere, Deum esse, qui ipse dixit se esse, sive propter ipsiusmet testimoniu & auctoritatem, notam vt talem, propter argumenta quæ mox referemus. Facitur tamen fide diuinã, & supernaturali, credi Deum esse propter testimonium diuinum contra cognitum vt superioris omni creato. In quo, meo quidem iudicio, non satis cohærenter philosophantur. Quia testimonium illud non mouet nisi vt cognitum. Ergo non plus mouet, quàm cognoscatur. Ergo si mouet vt increatum; cognoscitur vt increatum, adeoque diuinum. Ergo Deus testimonio suo diuino, noto vt tali, mouet ad sui cognitionem. Porro testimonium mouens ad fidem supernaturalem, debere esse quid maius omni creato, vt ipsi faterentur, manifestum est. Quia fidei diuinæ & supernaturalis assensus ex natura sua est altior, & certior, quouis assensu dato propter humanum aut creatum testimonium. Est enim assensus planè supernaturalis & diuinus, non differens solum entitate materiali à fide humana, & aliã quacunque, fide naturali: Sed & conditionibus laudabilibus, eminentiã scilicet modi assentiendi, certitudine seu firmitate, & alijs perfectionibus proportionatis suo motiui & obiecto formali, quod est prima & suprema veritas, ratione cuius sortitur tãtam perfectionem & eminentiam præ quãuis alia fide. Item quia Deus per miracula sua ostendatur esse potentissimus & perfectissimus, ac dignus fide quidquid testificetur: & testificetur se esse, est etiam dignus, si credatur quòd sit. Idemque dico de Raphaële, qui per signa antea edita, & beneficia eximia, credibile fecerat quidquid diceret: Ergo & se Angelum esse, quando dixit se Angelum esse. Tertiò Paulus Romanorum decimo generaliter ait fidem esse ex auditu, & auditum esse per verbum Dei: & ex sententia D. Thomæ 1. 2. q. 1. 1. c. omniūque Theologorum, veritas prima reuelans est obiectum formale fidei, nempe cognita vt talis: nam obiectum formale cognitionis nõ mouet nisi cognitum, & quatenus cognitum. Idque Hæretici ipsi non abnuunt, sed dicunt fidem non minus pendere à verbo Dei, quam radium à sole. Ergo si fide diuinã & supernaturali credimus Deum esse: credimus propter verbum Dei, & propter primam veritatem reuelantem, cognitam vt talem. Et quidem nullus Aucthorum est qui tale supernaturalis fidei motiuum assignauerit, quale isti Modestini imaginantur. Neque cum dicunt communi consensu veritatem primam reuelantem esse obiectum formale fidei, loquuntur solum de auctoritate veritatis, exceptã istã, quòd Deus sit: sed generaliter de omnibus. Quare hæc doctrina est noua & singularis: ideoque minus probanda.

Sed obijciunt primò, exempla priora dote à nobis, & à Suarez allata, non congruere ali-

13.  
Exitum ang.  
aliqui illu.  
actum esse  
impossibile  
lem.

14.

Primum il-  
lorum ar-  
gumentū.

quid simile. Cum enim cognoscimus causam ex effectis, non ita argumentamur: Causa ex se talem effectum operatur; Exempli gratiā, Deus creator vniuersum: ergo Deus est. Nam antecedens est æquè ignotum ac consequens. Sed mediū ratiocinationis est effectus tantum, puta mundi existentia, cum aliquo ordine quæ ad aliquem finem est utilis: vnde conclusimus tale opus non posse esse nisi ab artifice, & illum esse Deum. Vnde cum Athei sunt conuincendi, nugatorium esset argumenti vim propriam, & quasi completam collocare in hoc medio termino, Deus est creator vniuersi; nam hoc est æquè ignotum, ac Deum esse: & cū infidelibus persuasimus Deum creasse mundū; tota persuasio est completa, neque eget vt inferamus Deum esse. Et quando is qui latet, se voce manifestat: medium in sum cognoscendi, non est ipsemet vt loquens, sed ipsius vox: quia cognoscitur vocem huiusmodi non posse ab alio prodire. Idemq; est in eo qui pulsu arteriæ cognoscitur viuere: solus enim pulsus est mediū cognoscendi. Si igitur fides diuina eodem modo procederet, & vteretur Dei reuelatione extrinseca, vt eius effectū: bona esset methodus perueniendi ad Dei notitiam per eius reuelationem. Verum hæc non est methodus fidei iuxta nostram doctrinam: sed vti ter Dei testimonio, quatenus est fide dignus. At qui vti ter dictione effectū ad cognoscendam causam, non vti ter auctoritate dicentis: vt in exemplis albis, seu mendax seu verax habetur, qui cum lateat, sua voce se prodit, vel qui pulsu arteriæ cognoscitur adhuc viuere: æquè certum præbemus assensum, quod ille sic.

refutatur.

Respondeo, quotiescumque per discursum cognoscimus causam ex effectis, debere in antecedente cognosci necessariū connexionē effectus cū causa, quodq; talis effectus non fiat nisi à tali causa. Sic enim nobis argumentandum est, exempli gratiā: Opus cum tanta rerum varietate existens, & cum tam conuenienti ordine ad finem suum &c. non potest esse sine aliqua causa suprema, sapientissima, & potentissima, quam Dei nomine intelligimus. Atqui hoc vniuersum est opus existens cum maxima rerum varietate, & cū ordine valde conuenienti ad finem suum: ergo non potest esse sine aliqua causa suprema, sapientissima, & potentissima, quam Dei nomine intelligimus. Et qui sic discurret, debet tempore, vel naturā, vel ratione prius, assentiri vtrique præmissæ: atque insuper cognoscere veritatem illationis, id est, cognoscere veritatem præmissarum simul sumptarū, ita esse connexā cum veritate conclusionis, vt impossibile sit vtramque præmissam esse veram, & conclusionem esse falsam. Ad hocque in ipso antecedente sumpto cognoscit formaliter conclusionem esse veram. Qui enim cognoscit vnum de obiectis esse verum: & simul cognoscit non posse hoc esse verum, quin alterum quoque verū sit, ille hoc ipso cognoscit alte-

rum esse verum formaliter & secundum se, & vt distinctum ab alio. At qui cognoscit antecedens, quantum est necesse vt recte determinetur ad assensum conclusionis, ita se habet: ergo: &c. Similique modo conuincendi sunt Athei, nec possunt aliter conuinci per discursum factum ex creaturis. Estque penitus impossibile effectum solum esse totum antecedens, & quidquid ante, bonam illationem, id est, ante assensum conclusionis vi antecedentis, præcognosci necessariū debet. Quare illi qui proponunt hoc argumentum, & in eo vim faciunt, non videntur satis attendere ad naturam discursus & artis syllogisticæ.

Neq; verū est quod dicunt, antecedens esse æquè ignotū, ac consequens. Nam consequens Deus est, est nobis per se ignotū. At antecedens, quod scilicet vniuersum ex tanta rerum tam magnarum & mirabilium varietate existens, & cum tam conuenienti ordine ad finem, ad quem est utilis, non possit esse sine aliquo supremo artifice potentissimo, & sapientissimo, quem Dei nomine intelligimus, est per se euidens, aut eum propter credibile rem bene consideranti; & adhibita maiori declaratione, vel adiunctis alijs principijs contra progressum infinitum, aliaque effugia Atheorum, potest fieri euidentiū, ac simpliciter euidens, vt patebit sect. 3. & sequentibus. Sic quando quis manū experrectus cognoscit ex lumine collustrante cubiculum, diem esse: ita formaliter, aut virtualiter & implicite ratiocinatur. Quando tanta lux apparet, dies est: quæ tanta lux non est nisi à sole. Sed nunc tanta lux apparet: ergo dies est. Idem dico de illo qui cū lateat, se voce prodit, aut pulsu arteriæ cognoscitur non esse mortuus. Sic enim discurrendum est: Talis vox non est nisi à tali loquente & præsentē (quæ propositio frequenter experientia nota esse solet) sed auditur talis vox: ergo talis loquitur & præsens est. Item, non esset pulsus arteriæ, si esset mortuus. Sed est adhuc pulsu arteriæ. Ergo non est mortuus.

Porro hæc prima exempla eo tantum fine à nobis sunt allata, vt ostendamus non esse necessarium cognoscere prius Deum esse, quam Deum dicere: quamuis à parte rei prius sit Deum esse, quam dicere. Sicut licet causa sit prior effecti: potest tamen cognoscere prius effectum, & causam vtriusque ex effectu. Sed non vniuersum in omni tali cognitione interuenit auctoritatem alicuius dicentis & testificantis. Manifestum enim est nullam talem interuenire in eo qui pulsu tantum arteriæ cognoscitur non esse mortuus: sufficit quoque audire vocem loquentis notam vt talis, vt cognoscamus ipsum adesse, nullā habitā ratione eius auctoritatis & veritatis. Sed nihilominus si est talis, vt iudicet illam esse semper veracem, & fide dignam quidquid asserat, possum non tantum notitiā experientia locis notā, sed etiam eius veracitate moueri, vt assentiar ipsam adesse. Tuncque magis assensum extensiuē, iudicem

hoc

hoc secundo motiuo assentiendi; quam propter primum tantum. Fides autem diuina & supernaturalis, non est notitia experimentalis per effectus dumtaxat; sed est assensus veritatis reuelatæ propter testimonium & auctoritatem primæ veritatis reuelantis, notæ vt talis, vt ostendimus num. 14.

18. *Secunda obiectio.* Secundo, contra alia exempla posteriori loco à nobis allata, de Christo persuadente Samaritanæ se Messiam esse, & testificante Apostolis se esse; & de Raphaële persuadente Tobia se esse Angelum, obiiciunt, quando aliquis persuadet suo testimonio se esse in hac vel illa conditione, nunquam ipsius auctoritatem cogniti in prædicta conditione efficere, vt habeatur qualis perhibetur testimonio suo: exempli causâ, cum vir spectatæ grauitatis persuadet se nobilem esse, suo testimonio; medium assentiendi illius nobilitati, non est eiusdem nobilitas: sic enim idem per idem probaretur: sed grauitas morum hanc fidem ei conciliat. Sic in exemplis allatis Christus agnitus à Samaritana, præcisè vt diuino plenus spiritu, fuit illi medium assentiendi, prædicanti se Messiam esse. Sed non Christus agnitus vt Messias. Atque ita est, cum Raphaël persuasit se Angelum esse. Iam enim innumera indicia præcesserant, quæ auctoritatem illi celestem afferbant. Itaque confuse cognitus vt persona fide digna, persuasit Angelum esse. Christus autem vel tono vocis, vel etiam vultus lineamentis, & aliis indicis melius inspectis, persuasit Apostolis se esse. Simili modo quo post resurrectionem fuit agnitus à Magdalena Ioan. 20. vers. 16. & Ioseph à fratribus Gen. 45. vers. 3.

19. *Dissolutio.* Respondeo hoc argumentum laborare eodem vitio, quo præcedens: nempe defectu satis perfectæ considerationis naturæ discursus legitimi. Nam quando vt spectatæ grauitatis persuadet se nobilem esse testimonio suo; is cui persuadet, debet sic ratiocinari: Hominis fide digno testificante se nobilem esse, credendum est ipsum esse nobilem. Sed iste homo est fide dignus, & testificatur se nobilem esse: ergo illi credendum est quod sit nobilis. Vel sic: Omnis homo fide dignus qui dicit se nobilem esse, est nobilis. Sed iste est homo fide dignus, & dicit se nobilem esse: ergo est nobilis. Vel denique in hunc modum: Quisquis dicit se nobilem esse, nobilis est. Sed iste dicit veraciter se nobilem esse, (est enim verax & fide dignus.) Ergo est nobilis. In quibus omnibus syllogismis, conditio nobilitatis cognoscitur necessario in antecedente, vt verè connexa cum testimonio dicentis se esse nobilem: & sine illa sic cognita per assensum datum præmissis, non determinatur sufficienter intellectus ad assensum conclusionis. In forma igitur, distinguo antecedens: Quando aliquis persuadet suo testimonio se esse in hac vel illa conditione, ipsius auctoritas cogniti in prædicta conditione non efficit vt habeatur qualis perhi-

betur testimonio suo: sola, Concedo: sic enim idem per idem omnino probaretur. Ipsi auctoritas coniecta iudicis sufficientibus, & vt pars antecedentis, & præmissa per se credibilis: Nego. Sic autem credimus fide diuinâ Deum esse, propter ipsius auctoritatem vt Dei, non nudè & præcisè sumptam, sed reuelantem creduliter adhibitis sufficientibus argumentis credibilitatis, per quæ sit euidenter credibile, & per se notum credibiliter, Deum reuelare, ac propter suam summam auctoritatem & veracitatem dignum esse cui credamus. Similique modo potuit Samaritana credere Christum esse Messiam, propter ipsius testimonium notum in antecedente, vt testimonium Messie, id est, profitentis se esse Messiam, actum sufficienter credibile per aliquid aliud, quam per hoc solum quod dicebat se esse Messiam; putâ, per reuelationem eorum quæ ab ipsa occultè gerebantur: Tobias Raphaëli affirmanti se esse Angelum; quia iam fidem & auctoritatem sufficientem suâ morum grauitate & rectitudine, factique exitiis sibi conciliauerat.

20. *Tertia obiectio.* Obiiciunt tertio: impossibile est antecedens facere notum consequens, aut magis notum, si antecedens & in re & in nostra cognitione sit ipsum consequens. Nam nihil sibi præbet lucem, aut à seipso lucem mutuatur, quâ careat, antequam mutuetur. At si cognoscitur Deum esse, quia ipse dicit se esse; idem est antecedens & consequens in re, & in nostra cognitione: Nam in se ipso in eo quod Deus dicit, includitur, Deus est. Idem enim est, Deus dicit; ac, Deus est dicens: & se ipso includit in omni prædicato reali & existenti: Confirmatur, quia in omni discursu vti (par autem est ratio, vbi aliquid est formale medium assentiendi alteri) id quod cognoscitur in conclusione, est notum quàm edet ante discursum, aut discursus est inutilis. Exemplarim, in nullo intellectu fieri potest discursus utilis intelligenti, si propositio, quæ est in consequente, vel est totum antecedens, vel est illius pars, sub eodem conceptu. Nam in omni discursu vnum infertur ex alio. Sed vbi est vnum & aliud, sunt duo distincta.

21. *Responsio.* Respondeo ad primum, distinguendo maiorem: Si antecedens est purè & præcisè ipsum consequens: Concedo. Si includit quidem id quod est in consequenti, sed tamen totaliter & integrè sumptum continet aliquid aliud, & complexum ex utroque est notius quàm solum consequens: Nego. Minor similiter distinguenda est: Consequens est idem cum antecedente, purè & adquatè: Nego. Ex parte, Concedo, sed adiuncta reuelatione facta sufficienter credibili per argumenta credibilitatis, quod notum est aliquid amplius & notius, quàm sit illa propositio solè sumpta, Deus est. Unde



tiam hæc propositio fit notior per talem discursum, quam esset antea. Suntque verè duo quorum *Quia inferitur ex alio*; Nam Deum esse, non est idem ac Deum dicere se esse; dicere inquam, non tantum oris testimonio, sed & testimonio operis, per argumenta quibus reddat credibile se loqui. Tantum verò abest, ut nullus discursus utilis ipsi intelligenti fieri possit, si consequens est pars antecedentis: ut potius nullus sit discursus utilis, & legitimus atque perfectus, in quo consequens non sit pars antecedentis. In omni enim bono discursu syllogistico totum consequens est in antecedente; quippe qui nititur principio, *Dici de omni*, si concludit affirmatiuè; aut, *dici de nullo*, si concludit negatiuè. Debetque in omni discursu syllogistico, ratio saltem vel natura prius, cognosci totum antecedens esse verum, & ita esse connexum cum consequente, ut consequens sit necessarium verum, vero antecedente. Quod est formaliter cognoscere veritatem, quæ inferitur & cognoscitur in conclusione. Cætera quæ obijciunt, vel nobis non nocent, vel leuiora sunt, & ex dictis facile solui possunt.

Malè autem respondetur ratione prius quidem cognosci hanc hypotheticam, *si est verum hoc antecedens est etiam verum hoc consequens*. Sed non istam categoricam ratione prius cognosci quam consequens, scilicet: *Hæc propositio consequens est vera, & bene annexa cum antecedente*. Alioquin, inquit, nihil nouimus reperire in consequente: & prout est in medio, cognito tanquam in via, ut sic esset in termino, *quia est impossibile*. Malè inquam ita respondent. *Quia* in antecedente, ut mens determinetur & necessitate ad assensum conclusionis, debet cognoscere absolute & categoricè præmissas esse veras, & necessariò connexas cum veritate conclusionis. Iuxta definitionem syllogismi Priorum Analytic. cap. 1. *Est oratio in qua quibusdam positis, aliud quid necessariò sequitur, eo quod hæc sunt*. Nota absolute & categoricè, *eo quod hæc sunt*. Estque in proposito evidens hanc solam hypotheticam, *si antecedens est verum, consequens non potest esse falsum*, non me necessitare ad assensum conclusionis: sed hanc absolutam: *Antecedens totum verum est, & ita connexum cum conclusione, ut non possit non esse, vera conclusio, vero antecedente*.

Non est autem inconueniens, sed planè necessarium, nihil esse in consequente, quod non fuerit notum in antecedente: & intellectum simul esse in via & in termino; id est, cognoscere antecedens & consequens sine ulla prioritate in quo, sed tantum à quo, ex parte obiectorum. Ita ut assensus ad quatuor antecedentis sit huiusmodi: *Assentior huic & illi præmissæ, videoque illationem esse bonam, & uersa earum veritate, conclusionem esse necessariò veram*. Assensus autem conclusionis est huiusmodi: *Assentior huic conclusioni, quia video præmissas esse veras, esseque impossibile eorum veritatem stare sine veritate conclusionis*. Quare isti assensus ferunt tantum

ex parte modi assentiendi, & non ex parte obiecti.

### SECTIO III.

*Quibus argumentis naturalibus probetur efficaciter & demonstratiuè Deum esse.*

**R**ationes naturales quibus probari solet Deum esse plurimæ sunt. D. Thomas qu. 2. artic. 3. in corp. quinque proponit, quæ initio huius disput. breuiter relata fuerunt, & fusius expositæ apud ipsum videri possunt: mihi enim non omnes, sed paucas & præcipuas, ex ipso & ex aliis selectas, proponere & corroborare visum est: quarum prima, & Metaphysica, sumitur ex necessitate & dependentia omnis entis ab alio, ab aliquo ente à se. Secunda & Physica, ab vniuersi fabrica. Tertia moralis, ab incommodis & absurdis moralibus.

Prima sic habet: *Impossibile est quidquid est, esse ab alio*. Ergo necessarium est aliquod ens esse à se. Nomine autem Dei intelligitur ens à se. Ergo necessarium est Deum esse. Probatur antecedens, quia si quidquid est, esset ab alio: tota collectio vel multitudo entium esset ab alio: & de se esset in potentia obiectiua, quæ per aliud esset reducenda in actum. Hoc autem implicat. Nam extra totam collectionem entium, nihil est à quo in actum reduci possit. Neque dici potest quidquid est, siue omne ens, esse quidem ab alio: sed intra totam collectionem entium alia esse ab aliis reciprocè, & circulariter. Impliat enim quæquam produci posse simpliciter, & totaliter, ab effectu suo per circulationem passiuam deberet præexistere. Etenim omnis eius productio passiuæ, esset ab effectu ipsius; ante quem esset necessarium ipsum præexistere, saltem ordine nature. Causa enim efficiens, natura saltem, præexistit effectui: & prius est esse & posse, quam operari, cum operatio sit usus & exercitium potentia. Quare licet non simpliciter causam posse aliquando reproducere ab effectu; implicat tamen simpliciter & totaliter produci à suo effectu, & non esse nisi ab illo.

Dices, posita infinita entium multitudine, consequentiam non valere: quia in infinito non valet illatio à singulis ad totum. V.g. positis infinitis cælorum circulationibus in futurum, postquamcunque foret via, non post omnem: & positis infinitis generationibus ab æterno, ante quamcunque foret alia, non ante omnem. Sic igitur, si à parte antè præxisterunt entia infinita: ante quodunque fuerit aliud, non tamen ante omnia. Et vnumquodque erit ab aliis, non tamen omnia.

22

Euzio refellitur.

Aristot.

23

Prima demonstratio quod Deus sit,

Non potest omne ens esse ab alio.

Prima causa Theor.

25

Refutatur.

Illatio à  
singulis ad  
totum quo-  
modo va-  
leat in infi-  
nito.

Respondeo primò, infinitam multitudinem entium, & causarum, vel effectuum à parte ante, temerè poni ac sine fundamento. Respondeo secundò, in infinito illationem à singulis ad totum non valere in eo dumtaxat, in quo totum differt à singulis, & in quo infinitum differt à finito. Id autem in quo totum differt à singulis, & infinitum à finito, non est aliud, nisi quantitas, quam totum addit supra singula, & infinitum supra finitum: siue ea quantitas sit magnitudinis, siue multitudinis, siue temporis, & successione: Ergo consequentia à singulis ad totum in infinito non valet quidem in quantitate, id est, in prædicatis sumptis à quantitate, vel quantitati affinis: secus autem in omnibus aliis. Quia in aliis nulla est ratio differentie quare non valeat, posito quòd, vt supponimus, singula sint eiusdem speciei, & non differant nisi penes maius & minus, seu penes finitudinem, & infinitudinem. Fateor ergò non valere illationem in exemplis allatis, quia prædicata illa sunt prædicata quantitatis, nempe æternæ successione circulationum, & generationum. At impotentia essendi ex seipso, seu quòd idem est, indigentia causæ vi cuius sit (quæ impotentia, seu indigentia conuenit cuilibet enti ab alio, seu cuilibet enti quòd non est à se) non est prædicatum quantitatis, aut affinis quantitati; sed est prædicatum essenziale conueniens rei absolute, ex limitatione & imperfectione suæ essentie, quæ non est sibi ipsi sufficiens fundamentum essendi, absolute, inquam, & abstrahendo à quantitate, loco, tempore, & quibusuis aliis accidentibus. Quare sicut evidens est totam hominum collectionem, siue finitam, siue infinitam, esse substantiam viuentem, sentientem, & rationalem: quia singuli homines sunt substantia, viuens, sentiens, & rationalis: & hæc prædicata non sumuntur ex quantitate: sed ex ipsa essentia, quæ in omnibus eadem est: sic evidens est omne ens esse ab alio, & totam collectionem seu finitam, seu infinitam, esse ab alio, si singula entia sint ens ab alio, quia prædicatum illud essendi ab alio, non est sumptum ex quantitate, sed ex essentiali impotentia existendi à se ipso.

26

Secunda  
ratio, eius-  
dem  
ratio.

Dices prædicatum essendi ab alio sumi à quantitate, quia significat multitudinem: ubi enim est vnus & vnus, est multitudo. Respondeo, nec esse ab alio, seu, ens ab alio, nos intelligere impotentiam existendi à se, seu imperfectionem essentie talem, vt non sit sibi ipsi fundamentum sufficiens existendi. Sic autem explicatum hoc prædicatum, non significat quantitatem, neque ex illa sumitur: sed est prædicatum absolutum essenziale, & conueniens subiecto ratione suæ essentie præcisè consideratæ, ob ipsius imperfectionem & limitationem naturalem.

Instabis, quia positæ generationibus hominum ab æterno, quas Aristoteles fuisse existimauit, & D. Thom. censuit non esse impossibiles, non valeret hæc consequentia: to-

ta collectio hominum est ingenua ab alio homine: ergo datur aliquis homo ingenuus ab alio homine. Ergo nec valet ista: omne ens non est ab alio, seu tota collectio entium non est ab alio: ergo datur aliquod ens à se.

Respondeo, dato quòd tota hominum collectio sit ingenua ab alio homine, bene adduci, aliquem esse ingenuum ab alio homine: vt ostendemus inferius disp. 33. sect. 1. vbi ratione huius sequelæ necessariè probabimus suppositionem illam Arist. esse impossibilem, & non potuisse generationes hominum esse ab æterno, quales nunc sunt. Minus verò aptè respondent aliqui negando consequentiam argumenti propositi, propter rationem superius allatam: Quia scilicet quando prædicatum aliquod est affinis quantitati; potest illud conuenire toti collectioni infinitæ, licet nulli eius parti conueniat. Nimirum quia conuenit toti ratione quantitatis, quam totum addit supra singulas partes distributiue sumptas. Sicut v. g. in exemplo allato nullus homo singularis esset ab æterno, nec vlla hominum finita multitudo; quamuis collectio esset ab æterno, quatenus semper fuit alius ante alium sine principio. Secus autem est, quando tale prædicatum non est annexum vel affinis quantitati, quia tunc nulla est ratio cur conueniat collectioni, si nulli eius indiuiduo conuenit. Exempli gratia, euidenter est impossibile collectionem esse viuentem, sentientem, & rationalem, si nullum eius indiuiduum est viuens, sentiens, & rationale. Impossibile est collectionem hominum esse albam, si nullum eius indiuiduum est album. Impossibile est euidenter collectionem, siue finitam, siue infinitam lampadum esse accensam, & lucentem; si nulla est accensa & lucida. Iam verò, inquirunt, esse ingenuum ab alio homine, in prædicta suppositione, est prædicatum annexum quantitati. Quia ille homo ingenuus, ab alio homine, esset primus tempore: nam terminus ille, ingenuus, in illa suppositione hoc sonat, quòd ille non fuerit productus ab alio homine, sed fuerit successu temporis causa generationis omnium aliorum: adeoque sit primus tempore. Esse autem primum tempore est prædicatum affixum quantitati, nempe tempori. At verò esse ens à se, non sonat esse primum tempore, sed tantum esse vi suæ essentie, ex intrinseca necessitate & essendi perfectione. Hæc illi.

Quibus oppono, esse quidem prædicatum quantitatis, quòd vnus homo sit prior tempore alio, quòdque sit aliquis primus in illa collectione: secus verò, quòd quilibet hominum geat principio à quo fit, ratione suæ imperfectionis naturalis: Et quòd nullus homo in singulari, neque tota hominum collectio, habeat in se sola principium sufficiens extrahendi se de nullo actuali, aut virtuali, cum sit essentialiter ens

C a

ab alio: ideoque debeat existere vi alterius, ex indigentia & necessitate naturali & essentiali: sicut habet virtutem generandi, & successiue seipsam propagandi; debeat illam accipere ab alio, qui sit extra totam hominum collectionem, nempe à Deo: & non possit illam accipere ab aliquo extra totam collectionem, tanquam principio extrinseco, nisi ab illo communicetur, immediate alicuiusmodi individuo illius collectionis, à quo ad alia deriuetur, vt fustius dicemus loco supra citato. Quare in hoc prædicato, tanquam fundato in naturali & essentiali necessitate hominum, valet illatio à distributiuo ad collectiuum: quod amplius ex sequenti discursu confirmabitur.

28  
Infinita multiplicatio entium ab alio suppleri nequit illorum exigentia.

Tertio enim, sicut se habet exigentia extrinseca motoris ad collectionem singularium, quorum singula non habent in se principium motus sui; sic se habet exigentia cause extrinseca productricis, ad collectionem singularium, quorum singula ex se non existant, sed ab alio. Atqui prima sic se habet, vt ex infinitate singularium simultanea, vel successiua, implicet collectionem per se solam, sine extrinseco, determinari ad motum, & ex sola infinitate suppleri extrinseca exigentiam quæ est in singulis: Ergo similiter implicat ex singularium infinitate suppleri exigentiam extrinsecam quæ collectio accipiat esse. Ergo præter collectionem omnium quorum singula sunt ab alio, veniendum est ad aliquod quod non sit ab alio. Ergo à se. Minor probatur: sicut ex multiplicatione v. g. lapidum infinita, non ideo daretur vllus qui posset exigere motum sursum, aut motum circulatorium; quia soli singuli, qui ponuntur, carent principio ad motum illum propriis; vnde opus foret extrinseco, quod non foret talis lapis, quia hæc infinitas non eleuat ad aliam speciem, aut non exigentiam: ita infinitas entis de se potentialis non potest eleuare conuenienter, ad hoc, vt sit radix sufficiens existendi, vbi se adæquatè extrinsecat à potentialitate, sine cõsuetudine ab ea distincta: par enim est ratio. Certè quidem manifestè implicat, vt limitatio essentialis ad non fundandam sufficienter existentiam, suppleatur per quamcumque multitudinem similiter limitatam; & vt multitudo entium, quæ singula & omnia sint essentialiter ens potentialis, id est, non existens à se, neque vi suæ essentia, sed ex defectu illo suæ essentia indigens alio vt accipiat esse, habeat tamen in se ipsa principium sufficiens ad existendum. Sicut euidenter supplet lapides finitos non habere quidem vim mouendi se sursum, & ideo egerè extrinseco motore: secus autem si ponantur infiniti. Aut lampades finito numero exactas, non habere vim se accendendi, ideoque egerè igne extrinseco: secus autem si ponantur numero infinito. Quasi verò multiplicatio indigentium tollat indigentiam, quandoquidem potius illam auget.

Dices non esse parum rationem: quia lapi-

des alij alios mouendi vim non habent. Sicut homines, v. g. vel leones vim habent alij alios producendi. Respondeo primò, argumentum in eo fundari, quod nullum entium productorum habeat in se ipso principium sufficientes ad educendum se de potentia obiectiua: sicut nullus lapis habet principium sufficientes ad motum sursum aut circulatorium: in quo par est ratio. Secundò Respondeo (vt omittam non omnia producta talia esse, vt indiuidua sint alia ex aliis productis & sibi similibus, id enim de sole, & aliis astris, de cœlis, de materia prima, & aliis quibusdam falsum est) tamen lapides alij alios mouendi vim haberent, ita tamen vt nullus mouere possit nisi motus ab alio, sicut nullus hominum vim habet producendi alium, nisi prius sit productus ab alio, impossibile foret totam collectionem moueri à se, sed necessarium esset mouens extrinsecum, à quo foret tota motus origo.

30.  
Respondeo tertio, ne quid superfit ad cauillandum in exemplo allato, quod sicut homines vim habent alij alios producendi; sic & lapides alij alios superpositos sustentandi: & tamen quia per se standi vim non habent extra centrum, aut fundamentum à quo sustentantur, impossibile est totam eorum multitudinem quantumcumque extra fundamentum multiplicet in aciem, stare per se, & exigentiam fundamenti suppleri per infinitatem singularium fundamento indigentium: Ergo similiter, homines licet alij alios producendi vim habeant, quia tamen singuli egent essentialiter alio à quo sint, non potest talis indigentia per eorum infinitatem suppleri. Adde quod essentia totius speciei hominum, siue finita siue infinita, non est aliud quàm essentia indiuiduorum concepta sine differentiis indiuiduantibus. Quare si indigentia causa est essentialis indiuiduis, quorum nullum potest esse à se ipso, quemadmodum patet experientia; eadem indigentia est de essentia speciei, & tota species exigit aliud à quo accipiat esse. Similiter si nihil esset per se notum, omnia essent obscura, licet in infinitum multiplicarentur media: quia manifestè impossibile est defectum lucis suppleri per infinitam mediarum obscurorum, quorum nullum quidem vim habet nisi in luce accipiat. Et infinitudo accidentium inharrentium non potest suppleri exigentiam subiecti cui incumbant. Et si nihil per se mouere posset, impossibile esset quicquam moueri. Quæ infinita multitudo mobilium, quorum vnusquodque indigeret alio vt moueretur, non posset suppleri indigentiam motoris: sed potius quò magis ac magis multiplicaretur talis multitudo, eò magis magisque cresceret eorum indigentia motoris. In hoc discursu fundari debent duæ priores rationes D. Thomæ initio huius disputatæ, relatæ, vt plus roboris habeant.

Quarta  
causio.  
Rejicitur

SECTIO IV.

Continuatur prædicta demonstratio, & Respondetur aliis Atheorum offugiis.

31  
Fazolus.  
Multitudo  
quælibet  
entium ab  
habere  
alio debet  
extra se  
aliud à quo  
fit.

**E**odem verò recidit longa ratiocinatio Fazolii dub. 2. & sequentibus ad artic. 3. quæst. 2. D. Thomæ, cuius summa est, multitudinem siue finitam, siue infinitam entium quorum nullum à seipso fit, non solam distributiue acceptam pro singulis, sed etiam acceptam collectiue pro omnibus simul, debere necessariò habere superius aliud principium à quo dependeat & accipiat esse. Quia quando singulis indiuiduis alicuius multitudinis secundum se consideratis, præscindendo à quantitate continua vel discreta, & à quocumque loco, tempore, statu, & aliis circumstantiis, conuenit, præsertim essentialiter, aliquod prædicatū; non potest illud conuenire singulis distributiue, quin conueniat omnibus collectiue. Sed prædicatum entium participati, ac dependentis, & potentialis, & non existentis à se, conuenit essentialiter cuilibet homini, v. g. secundum se, præscindendo à quâlibet extrinseca circumstantia, & considerando tantum intrinseca & essentialia hominis: ergo idem prædicatum conuenit essentialiter toti hominum multitudini simul acceptæ. Consequentia est clara: minor patet experientia sensuum, quibus constat singulos homines generari & fieri: vnde naturale rationis lumen euidenter colligit, in conceptu essentiali singulorum hominum non includi existentiam; neque illis competere vi suæ solius essentia; sed esse entia dependentia, potentialia, factibilia, participata, & habere hanc essentialem limitationem & imperfectionem: vt existentia non sit de illo, vt essentia, neque sint actus prius, aut æqualis à se. Si enim existentia esset de essentia naturæ humanæ, omnis homo semper, & actu, & incessariò necessitate essentiali illam haberet. Quia omne prædicatum essentialia, siue intrinseca, conueniens ex se naturæ specificæ, conuenit necessariò omnibus indiuiduis illius: quippe quæ omnia continentur in eadem in essentia, nec aliam habent essentialiam, quam essentiam ipsius speciei, eandem etiam cum indiuiduis & ratione tantum abstractam.

32  
In prædicatis omnibus non potest esse aliud à quo fit.

Maiores verò probatur primò, inductione a partium attributorum essentialium, aut adstrahentium à quantitate, loco, tempore & similibus. Quia enim, v. g. singuli homines sunt substantia corporea, viuens, sentiens, & rationalis; verum etiam est dicere totam multitudinem esse substantiam corpoream, viuentem, sentientem, & rationalem: ac si singuli essent albi, verum esset dicere totam

multitudinem esse albam: idque non alia de causa, nisi quia collectio nihil addit singularibus, quod impediatur, ne prædicta illa eadem multitudini toti conueniant. Secundò probatur à priori, quia, collectio omnium particularium nihil aliud addit supra quodlibet particulare in illa inclusum, nisi quantitatem aliquam permanentem vel successiuam, continuam vel discretam: permanentem, collectio omnium palmorum supra singulos palmos: successiuam, vt circulationum omnium diurnarum collectio supra singulas in tempore finito vel infinito: Continuum, vt collectio finitorum vel infinitorum Angelorum vel hominum, supra singulos. Cum igitur, vt recte dicit Auctor citatus, collectiuum omnium, & distributiuum singulorum, nullâ aliâ ratione differant, nisi penes maiorem aut minorem quantitatem, quam collectiuum addit supra distributiuum; fit vt in iis tantum prædicatis, quæ quantitatem aliquo modo important, non liceat argumentari à distributiuo ad collectiuum: omnino autem liceat in reliquis prædicatis, quæ nullo modo important quantitatem, sed conueniunt rebus secundum se, vt præscindunt ab omni quantitate, id est, à maiori & minori, finitate & infinitate, paucitate & multitudine, duratione, successione, loco, situ, & similibus quantitatem aliquam importantibus.

Atque hæc ratiocinatio concluditur pariter in quacumque causarum collectione ad quemcumque effectum produendum, siue finita, siue infinita, siue per se, siue per accidens, tam in essendo, quam in causando subordinatarum, necessarium esse interuenire causam aliquam quæ sit à se, & causet à se. Quia si omnes & singulæ sint ens potentialia: tota collectio pariter est ens potenziale, indigens alio, & pendens ab alio in essendo & in causando. At nihil est extra totam collectionem à quo pendeat: alioqui non colligerentur omnes causa. Neque pendere potest ab aliquo intra eandem collectionem: quia idem penderet à seipso, & præsupponeret seipsum, vt initio ostendimus, impugnando circularem progressum: ergo &c.

In quacumque causarum collectione, ad quemcumque effectum produendum, siue finita, siue infinita, siue per se, siue per accidens, tam in essendo, quam in causando subordinatarum, necessarium esse interuenire causam aliquam quæ sit à se, & causet à se.

Eadem ratiocinatione præcluditur effugium commune Atheorum respondentium, singula quidem indiuidua esse ab alio, sed alio intra eandem speciem, ita vt tota species sit à se, & per seipsam determinetur ad esse actu. v. g. hunc hominem esse à Patre suo, & Patre ab Auo, & sic in infinitum intra eandem speciem, sine alio principio extrinseco quod sit à se. Contra enim: cum tota species hominum sit collectio entium tantum potentialium; non habet in se principium sufficiens & fundamentum essendi actu. Cumque ipsamet tota sit ex se ens potentialis; non potest seipsam determinare ad esse, neque formaliter, quia ens potentialis non est formaliter ex se ipso actuale, sed sua solius essentia, quemadmodum patet ex ter-

33  
Effugium Atheorum præcluditur.

Tota species entium ab alio non potest esse à seipsa.

minis; neque efficienter, aut productiue; quia tali productioni præquiretur existentia causa, saltem naturæ ordine, quare species deberet exiitè prius natura, quàm produceret & causaret existentiam eam. Adde quòd, id quod est à se, non potest desinere: quia nec à se ipso, nec ab alio potest destrui, nisi à nullo perdat in fieri & conseruari, qui tota hominum species potest desinere, possunt enim omnes interfici: puta, diluuiò vel incendio generali, à quo nullus excipiatur. Ergo species non est à se. Item si existentia actualis esset de essentia humanæ speciei, esset pariter de essentia singulorum indiuiduorum, in quibus sunt omnia prædicata essentialia speciei: ac proinde singula essent improducibilia, & incorruptibilia, æquè ac species, & singula extitissent ab æterno. Quod enim est à se, nunquam incipit, sed semper existit: quia quicquid incipit, aliquando non fuit. Est ergo productum, & traductum à non esse ad esse. At qui non potest esse productum à seipso, im productum debeat antecedere, vt id quod producendum est, ex non esse ad esse extrahere possit. Ergo quicquid incipit, ab alio productum est, ac proinde non habet esse à se ipso. Habere enim esse à seipso, est habere per suam essentiam, absque vllius causæ efficientis influxu. Perspicuum ergo est id omne quod est à se ipso nunquam incepisse. Tertio, manifestè experientia constat oriri nouas species rerum, quæ si erant ex se ipsis determinatæ ad essendum, quomodo non semper fuerunt, sed recens exorta sunt? Si vero illarum tota collectio non est à se, quippe quæ manifestè incepit esse ab alio; quo fundamento aliæ dicuntur esse à se? Maxime cum inter illas species nouas, sint aliquæ valde perfectæ, vt species quædam animalium ex aliarum commixtione natæ.

34  
Aliud est  
fugium.

Aristor.

Superest aliud effugium Atheorum, cui fauent imprudenter aliqui Recentiores de infinito male philosophantes: non dari scilicet collectionem in infinito, & terminos collectiuos, omne, totum, & similes, non posse illi applicari. Ad quod probandum adducunt primo locum Aristor. 3. Physic. cap. 7. textu 63. & 64. vbi ait, infinitum non posse conueniri cum omni, & cum toto, id est, non posse totum, & omne dici de infinito. Totum enim id dicitur, cuius nihil est extra: vel cui nihil deest: & idem est quod perfectum. Perfectum verò nihil est quod finem non habeat. Finis autem terminus est. Quare totum & perfectum non potest esse infinitum. Secundo, opponunt varia incommoda & absurda, quæ putant sequi ex contraria sententia. Verum de his incommodis & absurdis dicemus alibi, vbi finis hanc sententiam refutabimus: ostendemusque ea non sequi, nisi ex mala imaginatione, & peruerse explicatione naturæ infiniti. Ingerca dico primo, Aristotelem nec aliter probare id quod asserit loco citato, quàm frigidè & grammaticali allu-

sione inter Græcum *τελειον*, id est, perfectum: & *τελος*, id est, finis. *τελειον* ὅ (inquit) ὁδὸν μὴ ἔχει τέλος, τὸ δὲ τέλος, πῆρας. Quasi verò deriuatiuum sequatur semper significationem eius à quo deriuatur, & non sæpissime fortiatur diuersam, imò & contrariam significationem: vt lucus, quod minime luceat: Bellum, quod minime bellum, id est, pacatum aut gratum sit.

Dico secundo, id quod asseritur ab Aduersariis & ab Arist. esse euidenter à veritate alienum. Nam euident est nihil esse quod non sit id totum quod est. Ergo quicquid est, est id totum quod est. Ergo totum potest dici de infinito, si infinitum est. Idemque dico de termino, omne: nam quicquid est, est euidenter id omne quod est. Est enim euidenter impossibile vt sit id quod est: nisi habeat illud omne per quod est id quod est. Nihil enim potest esse sine partibus omnibus, aut principiis intrinsecis, per quæ in tali esse constituitur. Quare hoc effugium Atheorum repugnat euidenter lumini naturali. Neque possunt hic recurrere ad sensum distributiuum. Nam quicquid est, est collectivè id totum quod est, id est, est hoc, & illud, & quodlibet ex his ex quibus componitur, simul sumptum. Est enim saltem euidenter quòd id quod est, sit tantum aliqua sui pars, aut aliqua pars, seu totum & distributiuè suscipiat; id est, non coniunctum, seu copulatiuè, & simul sumptum cum quibuslibet aliis ex quibus constat. Idque euidenter verum est tam de infinito, quàm de finito. Quia infinitum non magis potest esse pars tantum eius quod est, quàm finitum. Nec magis potest esse comparatio excessus inter infinitum, & partes quibus constat: quàm inter finitum, & partes ex quibus componitur. Nam eiusdem ad se ipsum non potest esse comparatio excessus: cum euidenter impossibile sit, idem omnino excedere seipsum. Atqui multitudo lapidum, verbi gratiâ, siue finita, siue infinita, nihil est aliud quàm lapides ex quibus constat, simul sumpti quotquot sunt in multitudine. Ergo non potest inter illa esse excessus. Tertio, qui dicit, omne ens, aut omnia entia: vel dicit tantum aliquod ens, aut aliqua entia, id est, aliqua existentibus: vel dicit, propterea omnia, id est, hoc & illud, & quælibet alia. Si primum: ergo quod ens est omne ens, aut aliqua ex omnibus sunt omnia entia: quòd est euidenter falsum. Si secundum: ergo dicit omnia collectivè. Quia dicere omnia collectivè, nihil est aliud, quàm dicere simul hoc, & illud, & quodlibet aliud. Neque respondeant Athei, non dicere omnia collectivè, sed dicere tantum omnia distributiuè, quia omnium collectio est impossibilis; & vox, omne, aut omnia, siue ex parte subiecti, siue ex parte prædicati, non potest cadere in entia, nisi eodem modo quò sunt, aut quo possibiliter sunt. Si autem actu infinita sunt, aut si infinita possunt

35.

Omne, Totum, potest dici de infinito.

bilia sunt, non dantur omnia possibilium, sed dantur non tot quin plura: quia nullum est possibile, vltra quod non sit aliud possibile: & nulla sumi potest collectio possibilium, quã non possit dari maior.

36. Sed contrã, primò, hæc responsio quoad priorem eius partem est mera petitio principij, cum ait particulam, *omne*, non posse sumi collectivè, quia omnium collectio est impossibilis. Et iam evidenter ostensum est, quod si datur infinitum actu in magnitudine aut multitudine, datur collectio eorum omnium ex quibus constat: quia infinitum illud, est totum id quod est. Et totum nihil est aliud, quàm partes omnes ex quibus constat, collectivè sumptas. Sanè licet secundum Peripateticos continuum quodlibet componatur ex partibus semper ac sine fine divisibilibus, adeoque infinitis: negare tamen non possunt, id quod evidens est, nempe quando aliquid continuum est actu, putà lignum bipedale; esse actu totum id quod est: & esse actu omnes eius partes collectivè sumptas. Quia totum illud nihil est aliud, quàm omnes partes ex quibus componitur, unitas, & collectivè sumptas: Estque impossibile, ut sit actu illud totum, quin sit actu omnes illarum partes.

Infinitum potest sumi collectivè, quamvis nulla sit ultima eius pars.

Ad secundam partem huius evasionis Atheorum, respondeo, licet in infinito nulla sit eius pars, vltra quam non sit alia: & nullum sit possibile, vltra quod aliud dari non possit: adeoque nullum sit ultimum: falsum est tamen non posse sumi collectivè: quia vt collectio infinita sumatur tota, non est necesse sumere partem ultimam, imò illud est impossibile: quia nulla est talis: sed sufficit assumere in conceptu aut significatione vocis, *omne Ens*, aut *omnia Entia*, & hoc & illud & quodlibet aliud cui convenit esse ens. Quo pacto, licet iuxta sententiam Peripateticorum non sit ultima pars proportionalis in continuo; sumitur tamen tota in conceptu & significatione vocis huius, *lignum bipedale*: & omnes eius partes proportionales collectivè sumptas moventur localiter, quando lignum bipedale v.g. transfertur de loco in locum. Et si motus colorum fuit ab æterno, vt volunt Athei: fuerit omnes dies præteriti hucusque, non modo in præterito, sed etiam in collectivè, id est, hic, & ille, & quilibet alius eorum qui hucusque præterierunt: & tamen nullus est dies, aut eorum non fuerit alius.

inter entia que nunc sunt, datur non esse aliquid ens à se.

Quia, si hoc effugium Atheorum aliter occludamus abstrahamus ab insignita successione entium aliorum ab alijs, quam fingunt esse ab æterno, & loquamur tantum de eorum quæ nunc sunt: quæ ipsi communiter fatentur esse numero finito: quia in æterna tantum successione non est infinitas. Vt ergo nullum eorum est, quod non possit non esse absolute, id est, quod non possit absolute desinere esse: vel aliquid est, quod absolute non potest non esse, quodque absolute nunquam potest desinere. Si secun-

dum: illud ens est absolutè essendi necessitate: & ab æterno necessariò est: quia necessitas absoluta essendi non potest esse in vno tempore, potius quàm in alio: fundatur enim in essentiali perfectione: perfectio autem essentialis semper eadè est. Item illud est necessariò ens à se, id est, existens vi suæ essentia independentè ab omni alio. Quia quod est necessariò absolute, non eget alicuius beneficio sit. Si primò id est, si nullum est eorum quæ nunc sunt, quod absolute non possit non esse, & desinere: ergo fieri potest vt nihil amplius sit: & vt nihil amplius esse possit. Destructis enim omnibus quæ nunc sunt, nihil amplius esse posset. Cum evidenter sit impossibile, vt de nouo res incipiant esse, nullo præexistente, vi cuius accipiant esse. Idque verum est, siue dicantur ea quæ sunt in præsens, esse tantum numero finito, vt solent dicere Athei, qui ponunt tantum infinitatem in æterna rerum successione: siue dicantur esse infinita. Est enim æquè evidenter impossibile infinita entia oriri de nouo, nullo præexistente vi cuius orientur: atque entia numero finita. Sicut evidenter æquè impossibile est, lampades infinitas extinctas in opere accendi, nullo extrinseco igne admoto; atque lampades numero finitas. Si autem nihil potest esse in æternum à parte post: ergo potuit nihil esse ab æterno. Quia non potest rationabiliter asseri esse maior necessitas rerum, vt ab æterno fuerint, quàm vt in æternum futurae sint. Certè debet fuisse aliquid quod ea determinaverit ad existendum, potius quàm ad non existendum. Neque potest hic recurri ad casum: tum quia nihil est casuale, respectu omnium causarum suarum simul sumptarum, sed ex illarum omnium complexione habet essendi necessitatem, vt demonstrat Arist. 2. Physicæ præcipuè cap. 5. & patet inductione per alia omnia. Tum etiam quia recurrere ad casum, ita vt in mere casu extiterit hoc Universum tam artificiosè compositum, maior insania est, quàm dicere palatium regium elegantissimum, in mere casu, lapidibus è monte cadentibus, esse compositum: aut Homerum Iliadem, ex concursu fortuito characterum.

Item non minus est impossibile vt ab æterno fuerint entia, seu finita, seu infinita, potentia ex se non esse, & dependentia ab alio vt sint, fuerint, in quâ, sine alio natura prius existente, vi cuius extiterint: quàm vt in tempore incipiant esse, & orientur de nouo, sine aliquo præexistente, virtute cuius accipiant esse, quæ non habent ex se. Atque secundum est evidenter impossibile. Si enim illa possent oriri de nouo ex seipsis sine alio præexistente, & in sua multitudine haberent principium efficiens existendi: cur existèrent hoc instanti potius quàm alio? & cur non multis sæculis ante vel post?

38. Entia ab alio non poterunt esse ab æterno sine ente à se: sique non possunt incipere esse, sine illo.

Neque respondeant Athei, posse quidem desinere omnia quæ sunt: sed tamen ita vt reliquerint prius aliud à se producendum, quod mundus in eis conseruetur & perpetuetur.

39. Entia ab alio possunt ita desinere vt nulli succedat, & re-quantur.

alijs similitèr alia producentibus æternâ successione à parte post, qualis fuit à parte ante. Item quicquid potest impediri ne fit: potest etiam impediri ne agat. Ergo potest destrui priusquam agat, & relinquat successorem. Neque enim magis est impediens ab impedimento ut agat, quam ab impedimento ut fit. Atque ita v. g. possent extinguere ab hominibus, si vellent, omnia animalia domestica, priusquam vllū aliud sui simile procrearent. In quo casu tota species extingueretur, essetque deinceps impossibile ut species illa oriretur de nouo per actionem alicuius indiuidui eiusdem speciei.

40.

Quintò denique: euidentis est sine ratione fingi, quòd ea quæ nunc sunt, pendent à causis infinitis, nunc actu existentibus: ita ut homo penderet v. g. ab elementis, elementa à cælis, cæli ab intelligentijs, & sic in infinitum. Si autem ea quæ nunc sunt, pendent solum à causis finitis, nunc actu existentibus: verè illa omnes absolute possunt non esse: vel aliqua earum absolute non potest non esse. Si secundum: redit argumentum supra factū, quòd illa quæ absolute non potest non esse, fit ex absoluta essendi necessitate: adeoque fit ab æterno, & à se, id est, vi suæ essentia per se determinata & sufficientis seipsa ad existendum. Si primum: ergo fieri potest ut nihil amplius sit, & ut nihil amplius possibile sit. Nam sublati omnibus causis nunc existentibus, à quibus pendent ea quæ nunc sunt, non essent ea quæ nunc sunt. Et sublatis iis omnibus quæ nunc sunt: nihil in posterum esset, neque esse posset. Quia ea quæ nunc sunt, sunt semen eorum quæ post futura sunt: extincto autem semine, perit omnis spes ut quicquam ex ipso nasceretur. Expli gratiâ, sublatis omnibus causis à quibus nunc homines pendent in esse, & in conseruari; perirent omnes homines: & pereuntibus omnibus hominibus, nulli in posterum ex illis generarentur, neque generari possent. Idemque dicendum est de collectione huius & illius, & cuiusvis alterius entis pendentis finitèr à causis finitis. Par enim est ratio & necessitas, ut non modo aliqua distributiue, sed collectiue omnia, id est, hoc & illud, & quoduis aliud pendens à causis finitis, pereat illis desinentibus. Quippe quia sine illis non potest esse & conseruari. Quicquid enim pendet ab alio ut fit, pendet quoque ab aliquo ut persistat in esse. Quia non magis potest sola propria vi se sistere in esse: quàm habere esse. Et si nunc esset sola propria vi: esset nunc ex mera essendi necessitate, & ex perfectione & sufficientiâ suæ essentia. Et essendi necessitas essentialis nequit esse in illo tempore potius quàm in alio. Quare semper necessariò fuisset, & esset, ex perfectione & sufficientiâ suæ essentia. Ergo nunquam indigeret alio ut esset, neque ab alio penderet, cuius beneficio existeret.

41.

Iam rero sicut extinctis omnibus quæ nunc

sunt, impossibile esset quicquam amplius oriri & existerè, neque amplius essent, aut esse possent vlla entia, siue finitâ multitudine, siue infinitâ: quia cum sint entia ab alio, id est, de se impotentia, & insufficientia ut sint, egent aliquo alio, naturâ saltem præsupposito, à quo accipiant esse, & vi cuius oriuntur de nouo: Ita pariter est impossibile fuisse ab æterno entia ab alio, siue finitâ multitudine, siue infinitâ sine, aliquo alio naturâ saltem præsupposito, & sufficiente ad dandum illis esse, quòd per se sola habere nequeunt, non magis si fingantur esse multitudine infinitâ, quàm si finitâ tantum. Neque enim maior est vis & sufficientia entium ab alio, ut per se sola & propria vi sint ab æterno: quàm ut per se sola & propria vi oriuntur ex tempore.

## SECTIO V.

*Eadem veritas probatur ex Vniuersi fabrica.*

Hæcque prima demonstratio petita ex necessitate & dependentiâ omnis entis ab alio, ab aliquo ente à se. Jam secunda eiusdem veritatis probatio ex mundi fabrica desumpta, sic habet. Plurimè sunt in vniuerso quæ nos ad Dei cognitionem certissimè inducant, iuxta illud Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei*: & ad Rom. 1. *Inuisibilia ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellectû conspicimur, sempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Primò enim, ut à nobis incipiam, cæli & elementa, & materia prima, sunt facta ab aliquo, alioqui non essent ita determinata ad certam quantitatem, nec ad hunc situm præ alio, respectu totius spatij imaginarij, cum essentialiter nihil horum post se: nec vnum alium esset alio minus. Quis enim non videt, vnamquamque harum specierum per secundam esse ad alios situs: & solem, qui est præstantissimus, non minus diuini esse loco Saturni, quàm Saturnum ipsum? Quis etiam absurdum esse non videat, existimare solem, (& idem dico de astris alijs, de qua cœli ipsi) non potuisse, vel tantulum maiorem esse, aut paulò maiori celeritate moveri, aut paulò altius à terra distare. At in ijs quæ sunt à se, idem est esse, & posse esse; si quidem absolute necessitate existit, & ex essendi necessitate non possunt non esse. Quare hæc omnia, si essent à se, non haberet huiusmodi determinationes præter naturâ suam: ergo sunt ab alio, & quidem ab intelligente principio, cum tam pulchrum & eximium opus, omni humanâ admiratione maius esse, & potuerit, & ita disponere partes vniuersi præter earum naturam, in ordine ad finem à se intentum, partibus illis seorsim sumptis indifferentem & accidentarium. Confirmatur: quia euidenter nullam est ratio, cur res perfectissima nullam in suo con-

42.

Secunda demonstratio quod Deus sit, ex vniuersi fabrica.

Cæli & astra non sunt à se, sed ab aliquo intelligente principio.

Si ea omnia quæ nunc sunt, possent non esse, fieri posset ut nihil esset, & quæ nihil possibile esset.

cepto inuoluens contradictionem, non fit ex necessitate essendi, æquè ac imperfectior? Est enim contra rationem existimare, supremam perfectionem enti imperfectiori adscribendam esse, potius quàm perfectiori. Cur enim potuit ens imperfectius esse ex necessitate essendi, perfectius verò non potuit? Cur cælum minus esse potuit ex necessitate essendi, non autem cælum motus? Eodemque argumento ostenditur ens quod est à se & independentem, ex pura essendi necessitate, esse tale, vt nullum perfectius esse, aut intelligi possit. Alioqui semper quæreretur, cur imperfectius ens esset potius ex pura necessitate essendi, quàm illud perfectius? Indequè sequitur Deum esse summè intelligentem, summè bonum & perfectum, omnipotentem, æternum, immensum, & in omni genere perfectionis infinitum.

Materia prima non est à se.

Similiter materia prima, si esset à se, non esset determinata ad eam quantitatem, quam nunc habet, sed esset quanta esse posset. Est autem euidens potuisse multò maiorem esse, quàm nunc sit: cum in eo ne leuis quidem appareat umbra contradictionis. Item cum naturaliter exigat aliquam formam; haberet illam à se. Incredibile enim est, aliquid esse à seipso, & pendere ab alio, quoad eam quæ naturaliter requiruntur vt sit. Cum autem sit indifferens ad quamvis formam; neque seipsam possit ad vnam potius quàm ad aliam determinare, vel ad huius potius quàm illius dispositiones: non magis habet à se vnam quàm aliam. Quocirca si quam haberet formam, haberet ab alio: secus autem, vel omnes haberet, vel nullam.

44. Elementa non sunt à seipsis.

Situs quoque & dispositio elementorum, qualis nunc cernitur, non est ab ipsis. Nam terra naturaliter debet esse sub aqua, tanquam illa grauior; & non deberet vnum cum illa globum efficere. Neque deberet habere montes, & sinus: sed perfecte rotunda esse, & aquis circumquaque operata, qualis fuit initio mundi creata, priusquam Deus aquas in maria cõgregaret, vt apparet arida. Genes. 2. vers. 9. & 10. Cum enim terra sit grauior, aqua: & quæcunque corpora grauius vndique tendant æquabiliter ad mundi centrum: eoque magis & propinquius ad illud accedere nitantur, quò plus habent grauitatis: debet terra, quæ grauior est, secundum omnes suas partes, vndique ad centrum propius accedere; & aquis spherice circumfusis, tota subiacere. Cuius contrarium in magnum rerum plurimarum commodum factum esse videmus. Et dispositio quæ nunc est, à nulla causa naturali & necessaria esse potuit, sed ab aliqua intelligentia, quæ mundi, & animalium, & plantarum terrestrium curam gerit, eisque proprium à principio locum tribuit.

45. Deus corpus habet se, ut sit, non est à se.

Præterea vt rectè arguuntur Less. in. de providentia Numinis, sum. 16. & sequentibus, motus sive cælorum, vel astrorum tam velox, & tam multiplex, ræque ad eommodum rerum sublimium accommodatus, euidenter ostendit ipsos non esse à se. Nã quòd hic mo-

tus non oriatur à naturali cælorum, vel syderum inclinatione, manifestum videtur: cum ea quæ ex naturæ inclinatione mouentur, tendant ad aliquem terminum, in quo quiescant & consequantur, vt videmus in sublimariis. Nulla enim res habet inclinationem ad motum, vt sine fine moueatur, & nunquã ad terminum peringat: quia motus est quid imperfectum, vt potest via ad terminum. Item naturæ inclinatio ad motum, est propter bonum subiecti; nimirum vt illud suam perfectionem assequatur, & consequatur. At motus orbium cælestium nihil perfectionis ipsis affert, aut corporibus cælestibus (quid enim soli vel astris illa continua & tam velox circulatio prodest?) sed solum vtilis est rebus inferioribus, dum astrorum vim & efficientiam per totum orbem distribuit, & omnia facit crescere, vegetare, & conseruari. Constat ergo hunc motum non esse ex naturæ inclinatione. Sed neque etiam ex vitali inclinatione & appetitu cælorum: quippe qui, cum sint expertes cognitionis & appetitus, cogitare non potuerunt hunc motum vtilem fore mundo inferiori, vt ex illius affectu & charitate se continuò circumuoluerent. Nam hoc est mentis & intelligentiæ. Quare necesse est vt sit aliqua mens potentissima, & intelligentissima, quæ hanc veritatem animo conceperit, & propter illam, & utrum hunc instituerit, & tali modo, tam vario, tamque mirabili, & ad finem appposito, temperauerit. Vis autem illa incorporea, quæ cælis ita præsidet & dominatur, satis ostendit ipsos à se non esse. Neque enim magis potest esse iudicium, rem non esse à se, sed ab alio pendere, quàm si ea non sit sui iuris, sed alteri subdit, ac seruiat, & alius ei dominetur. Adde quòd iste situs & dispositio illa partium, quæ v. g. hæc stella est in hac cæli parte, illa in ista; non est de essentia illarum, neque ex essentia ipsarum necessitudo manat. Ergo est aliqua causa extrinseca, quæ sic eas disponat.

46.

Similiter, vt rectè profequitur auctor supra citatus num. 25. & 26. elementa non sunt propter se, sed propter aliud, nimirum vt sint partes mundi, præbeantque materiam corporibus mixtis, & sui permixtione, vel peremptione, generationi illorum inferuiant. Ergo elementa non sunt à se. Quod enim habet causam finalem ad quam ordinatur, habet etiam efficientem à qua ordinatur: quia finis non agit nisi mouendo causam efficientem: & nihil est à se, vt alteri seruiat, sed vt seipso seruiat. Itaque hoc ipso quòd aliquid non est propter se, sed propter aliud; indicat se ab aliquo esse institutum, qui bonum alterius intenderit. Cum ergo elementa sint manifestè propter mixta, totque subiecta mutationibus, & tantæ rerum extrinsecarum seruituti: quæ ratione dicuntur esse à se ipsis, sui que iuris, & à nullo pendere? Si etiam materia prima, cum non sit propter se, sed propter formas & compositiones naturas; atque in genere substantiæ imperfectissima;



omnibus mutationibus subiecta, omnibus causis naturalibus feruens, & à se inops atque inopans, suamque naturalem perfectionem ab alijs mendicans; non potest esse à se ipsa, ab omni alia causa dependens. Vnde ulterius sequitur, nullum corporum sublunarium esse à se ipso, cum omnia consistant intrinsecè ex materia prima, omnibus formis substantialibus, & accidentalibus materialibus necessariò præsupposita.

47.  
Animalia  
etiam per-  
fectissima  
non sunt à

Sed ut hoc ipsum specialius ostendamus, utque à cœlis & ab elementis ad mixta progrediamur; omissis inanimatis, & plantis, & imperfectis animalibus, de quibus minor est ratio dubitandi, an à seipsis existant: animalia etiam perfectissima, ut homines, leones equi, & similia, non sunt à seipsis, sed habuerunt necessariò principium aliquod extrinsecum. Nullus enim homo fuit à seipso, alioquin semper mansisset, quia quod est à se, à nullo pendet in conservari, neque potest vel à se ipso, vel ab alio destrui. Quod si vnus hominum à se esset, omnes alij pariter essent à seipsis, cum sit eadem ratio totius speciei quoad essentialia: & perfectio essendi à se, id est, vi suæ essentia, sit essentialis enti cui competit. Debent igitur hominum aliqui producti esse ab alio principio, quod sanè fuit intelligens & sapiens, cum homines intellectus & sapientia capaces produxerit, iam quæcumque illorum causa degeneret, vel illa est à se, vel similiter ad aliud principium extrinsecum reducenda, ac tandem ad aliquid non aliunde pendens deveniendū est, ut patet ex dictis sum. 23. & sequentibus.

48.  
Animalium  
corpora,  
maximè-  
que huma-  
na, ostendunt  
Deum  
esse illorum  
opificem.

Rursus eorundem animalium corpora, maximèque humana, ostendunt aliquem esse opificem sapientia præditum, & libertate, qui in illis efformandis naturam dirigat operantem; siue ipse vestigium suæ artis diuinæ, semini, ex quo formantur animalia, impresserit; ut homines suæ artis vestigium & directionem, imprimunt horologijs rotatis, vel sigillis, & similibus, quæ quidem non sunt sine arte humana; posito tamen quod sine, designant temporum mensuras, aut imprimunt similem figuram, vi suâ cœcâ & non intelligente, sed directâ, id est, ordinata, & disposita ad talem effectum, per humanum artificium; ut aliqui censent cum Molina q. 2. art. 3. quia, inquit, non est impossibile Deum talem virtutem impressisse seminibus; quamvis simplicibus & vnicoloribus; & Deum posse causis secundis talem, & tantam vim conferre, magis extollit eius potentiam. Tum etiâ quia non decet Deū fingere quod res creatæ gignant effectus, quos reuera non gignant; fingeret autem, si ad earum præsentiam solus ipse operaretur, rebus ipsis, quæ videntur agere, se vera non operantibus. Et alioqui non posset reddi causam, quare inter semina & animalia eiusdem speciei, quædam potentia sint ad generandum, & quædam impotentia, præter solam voluntatem Dei, qui præsentem, non vult ope-

Quænam  
sit illorum  
causæ for-  
mæ ix  
proxima.

Molina.

rari, non præsentem alio: quod in Philosophia ridiculum est, cum alia huius differentia causa naturalis reddi possit. Non posset etiam reddi causa aliquorum excessuum aut defectuum, qui ex defectu, aut abundantia, vel permixtione seminis, contingunt in monstruosis animalium generationibus. Siue, ut alij malunt, causa aliqua intelligens immediatè dirigat formationem animalium tam artificiosam: quia nulla videtur esse causa naturalis & necessaria in agendo, siue in mundo, siue extra, cui possit tribui organizatio corporis animalium, quando ex putri materia, vel ex semine fiunt. Quare ad aliam causam cognoscentem & liberam recurrendum est. Nam vel ipsa distributio localis materiae, ex qua embrio, & similia fiunt, cum tâta ac tam vniiformi difformitate, & partium dextrarum ac sinistrarum correspondentia, tâtaque interpositione heterogenearum inter homogeneas, superat vim causæ necessariae, siue alui maternæ, siue seminis, siue vis formatricis. Omnis enim causa necessaria moueret versus eandem partem omnia homogenea: quia per se vis & affectio ad pariter disposita. Ergo omnium osium materiam traheret, aut pelleret in eandem partem: similiterque omnem materiam neruorum, & omnem materiam musculorum, carnis, cartilaginis &c. Ergo roreret interpositio illa tam apta, constans, & perfecta heterogeneorum inter homogenea. Similiter materia organizanda non potest seipsam effectiue ita distribuere: quia omni homogenea eodem tenderent. Adde, quod materia formatrix fetus est passim confusa; & commixtione supposita, nequit potius de se, ad dextram, quam ad sinistram ferri; nec similiter ab alio agente necessario trahi.

49.

Quæcumque autem ex his duabus opinionibus eligatur, nihil ad præsens institutum interest. Habemus enim mentem aliquam sapientissimam necessariò præesse proximè, vel remotè, animalium formationi tam mirabili & artificiosa. Quod negare est euidenter contra lumen naturale. Si enim, ut rectè expendit Lessius libro supra citato, num. 83. cumulus informis lignorum, arenae, calcis, & regularum, se dirigere inciperet, & singulas confusi partes polire, ordinare, & conseruare an formam pulcherrimam palatii, ut ratio architecturae posulat: nemo non diceret mentem quandam architecturæ inuisibiliter deslesse, & omnia tam artificiosè dispo- nere. Parique modo, si penicillus varijs coloribus infectus se mouere inciperet, & lineamenta faciei humane primum rudia ducere, deinde singula exposire, seruari in singulis debita proportione, & congruis coloribus adhibitis: nemo dubitaret quin penicillus ille à spiritu aliquo intelligente regeretur. At longè plus est artis & ingenij in formatione cuiusuis animalis, quam in omnibus operibus humanâ industria factis. Quis ergo dubitaret hanc totam molitionem & mentem quædam sapientissima dirigere?

50.

Hæc etiam facit quod tam apta, tam multarum partium ad suum cuiusque finem, & ad totius animalis commodum, dispositio evidentissime arguit, aliquem esse opificem cognitione præditum, qui finem illum præviderit, & intenderit, & ad ipsum tam aptè omnia disposuerit. Quis enim credat oculum v.g. eo situ, eâ temperie, ex tot pelliculis, nervis, humoribus, venulis, musculis, arteriis, cilijs, supercilijs, palpebris, & ceteris ad videndum aptissimis, ita ut nihil desiderari possit, fuisse tam artificiosè compositum, sine cuiusquam intentione, qui visionem præviderit, & ad eam tot organa, tum singula per se, tum simul omnia, tam sapienter accommodavit? Simile artificium videre est in aliorum corporis membrorum, & partium fere innumerarum dispositione ad fines suos aptissima. Qua de re fusè & eleganter scribit auctor citatus num. 64. & pluribus sequentibus; vbi inter alia refert ex Galeno lib. de formatione foetus, esse in corpore humano ossa supra ducenta, & singula ossa habere scopos, seu fines, supra quadraginta, qui in illis formandis, disponendis, & connectendis, considerandi sunt. Itaque ut sola ossa corporis humani aptè formentur plusquam octies mille scopos esse considerandos. Musculos esse supra sexcentos, quorum singuli scopos habeant decem, ac proinde in solis musculis sex millia scoporum considerari. Eandemque artem circa omnia viscera existere, & omnino circa quamlibet partem: adeo ut si quis structuræ scopos consideret, in aliquot myriades eorum multitudinem excrescat. Vnde merito concludit Galenus corpus humanum à sapientissimo & potentissimo artifice formatum esse. Omnino enim impossibile est, ut tam innumerabiliū mediolorum, ad tam innumerabiles fines, sit tam constans, tam eximia, obstupendaque proportio & convenientia, nisi singula fuerint antea exactissime perpensa, & inter se collata. Simili argumentum utebatur septem Machabæorum mater lib. 2. c. 7. filios ita compellans: *Nescio qualiter in utero meo apparuistis. Neque enim ego spiritum & animam dedi vobis, & vitam, & singulorum membra non ego ipsa compegi: sed mundi creator &c.* Sic etiam Job cap. 10. à versu 8. David Psalm. 138. v. 24. Psalm. 118. v. 3. 73. & alij. Trismegistus quoque in libro, quod *Dei inuisionem*, impietatem, cœcitatēque vocat, ex hominis fabrica non agnoscere Deum.

Galenus non longe à fine libri cit.

51.

Iam partium penè innumerarum, & membrorum ad se inuicem collatorum mirabilis est proportio tam in homine, quam in alijs animalibus. Mirabilis partium totius vniuersi ad eius usum accommodatio. Mirabilis omnium corporum & operationum vniuersi cuiusque ad suos fines coordinatio. De quibus præter Lessi. loco supra citato, videri potest Ludouic. Molinæ l. part. quæst. 2. art. 3. & Theophilus Reinaud. distinct. 5. Theologiae naturalis quæst. 1. art. 1. vbi hac de re fusè & eruditè disserit: Ex Patribus sero, Athanasius, in orat. contra Gola, Nazianz. orat.

Lessi, Molina, Chryst. Th. Thana, No. 2162, Clem.

34. Clemens lib. 8. Recognit. Coryst. præcipue homil. 6. & 10. ad populum, qui rem varijs exēplis & perappositis illustrat. Quod, inquit, in rebus humanis nihil fiat sine consilio, quin sit temerè & sine ordine. Quod ne tabulâ quidem artificiosè picta sine consilio fiat: Nec domus ampla, vel Respublica, imò nec casula pastoritia, sine alicuius prouidentia diu stet. Quod nauigium inter pascellas, sine diem quidem vnum cursum tenere possit ad portum, sine gubernatore. Multo minus mundus, qui ex tot rebus, & multis inter se contrarijs, æquè liberè, & citra naturalem necessitatem & determinationem conditus est, ut in superioribus fuit ostensum: quod addo, ne quis argumentum in ipsum Deum retorquet, qui naturali determinatione & absolutâ necessitate est id quod est, omnemque essendi perfectionem eminenter aut formaliter continet.

Sanè, si mundus iste corporeus, tantâ partium multitudine & varietate, tamque aptâ omnium dispositione mirabilis, concursu fortuito atomorum factus est, ut olim somniantur Democritus & Epicurus: Si, inquam, mundi partes, earumque tam artificiosa connexio & dispositio, atque ad bonum vniuersi conspiratio & consensus, sine aliquo opifice dirigente, casu fieri potuit: Si cœlorum aut siderum motus tam varijs & multiplex, atque ad bonum rerû sublunarium tam aptè compositus: si elementa, eorumque situs præternaturalis, propter commodam partium & animalium, præcipueque hominum: Si eorundem animalium corpora, in quæ formatione apparet summoratio, summumque artis ingenium, solo concursu fortuito atomorum, sine artis & rationis ductu contingere potuerunt: Cur non simidi modo fiunt regia palatia ex lignorum & lapidum fortuita congerie? vel, ut ait Iulius lib. 2. de natura Deorum, cur Annales Ennij & Homer. poemata non fiunt: similiter ex concursu fortuito characterum, casu & sine ordine in terram decidentium: vel tabulæ pictæ elegantissime, ex fortuito cœlorum in eas delapsu: & alia huiusmodi, in quibus longè minus elucet artificij & ingenij. Et cœn statuat absque fabro & pictore fieri nullus asserere audeat, miram huius mundi constitutionem sine conditore constituisse putabimus? inquit Trismegistus in Pimandro capite quinto. Ad denique, ut sapienter expendit Clemens Romanus libro 8. Recognition. *Quis est exiguis saltem sensus, qui cum cernat domum, omnia qua ad usum necessaria sunt habentem; cuius cameram in sphaera gyrum videat collectam, eamque vario splendore, & auersis imaginibus depictam, luminibus præcipuis & maximis adorantem: quis, inquam, est, qui huiusmodi fabricam videns, non perueniat ad hæc, a sapientissimo & potentissimo artifice esse constructam? Et ita quis inuenietur insipiens, cum celi opus inspiciat, splendorem solis cernat ac luna, astrorum cursus, & species, & vias certis rationibus & temporibus videat definitas, non tam à sapiente hac artifice, & ratio-*

52. Ordo partium vniuersi ostendit eum esse.

Trismegistus.

tionibus & temporibus videat definitas, non tam a sapiente hac artifice, & rationali, quam ab ipsa sapientia & ratione clamat effecta?

Illud quoque in rerum productionibus notatu dignum est, quod cum causa secundæ indifferentes sint, etiam positæ quibuscumque circumstantijs præter Dei concursum; & varia individua eiusdem speciei, quantitatibus, intensioribus, & in alijs omnibus paria, & similibus, quorum vnus non magis exigunt quam aliud (absurdum enim esset talem ferriem essentialem, aut de se necessariam in causis ipsis, vel in effectis excogitare: Ita vt necessario nunc v. g. hic numero ignis produci tantum potuerit, deinde hic alius, &c.) quod hic potius quam ille effectus solo numero diuersus, planè similiter producat, ad primæ causæ cum secundis concursum & determinationem liberam referendum est.

Nunc verò, vt à corporeis & visibilibus ad spiritalia conscendamus, constat præter homines esse alias substantias intellectuales multò præstantiores, vt declarant oracula quæ olim apud Ethnicos frequentia fuerunt: & homines arreptitij, vel energumeni, per quos, licet alioqui rusticos & ignaros, loquuntur tamen varijs linguis, & res occultas indicant, & aliaque agunt stupenda. Igitur præter homines sunt alie substantiæ intellectuales: & inter illas, est aliqua præcipua & indepèdens, quam Dei nomine intelligimus, neque enim omnes sunt alie ab alijs. Constat etiã ex magicis Operationibus aliquas esse intelligentias, doctas quidem & potentes, sed pessimas, quæ doquidem pessima scelera contra rationem male restam suadent, quæque maxime moluntur, vt vnius cultum, atque omnis virtutis deiciant. Quæ tanta obstinatio, ad eò vt impetratæ ad vilissima se demittant, satis indicat, & animam esse immortalem, cui insidientur; & Deum esse, à quo malè habeantur, vnde tantum eius odium existat. Sed & illa aliarum ad alias subiectio & subordinatio, quæ ex magicis nota est, & malitia Dæmonum, tenent veterius intelligentias illas omnes à se non esse, sed ab alia superiore; quæ si vterius superiorem habet, tandem ad primam, & independentem, ac supremam deueniendum est. Nam cum intelligens nisi ab intelligente produci non possit: impossibile est totam entium intelligibilium collectionem ab alio produci, vt ex præcedenti demonstratione notum est. Prætermitto miracula circa Dæmones, & alia plurima in confirmationem huius veritatis diuinitus facta. Hic enim argumentis naturalibus agimus. Quanquam ex miraculis, præsertim plurimis & maximis, & adque illustribus, possunt in se naturaliiter quæ ea viderentur: vel aliunde sufficienter nota habuerunt, aliquam de causam potentissimam, mundo superiorem cuius ordinem immutet pro libito, supraque & contrariet & exigentiam causarum naturalium & rerum in mortuorum suscitacione, membrorum subita restitutione, & eorum illu-

53.  
Intelligen-  
tiæ create  
ostendunt  
Deum esse

Idem ostē-  
dunt mira-  
cula.

minatione, & similibus. Eamque esse intelligentissimam, quippe quæ futura, etiã libera, longè ante prædicat infallibiliter, nullo adhuc eorum existente vestigio; & liberam, quia pro libera sua electione, & non raro ad preces sanctorum hominum, hæc potius futura quam illa prædicat: hunc ægrotum sanat præ illo æquè propinquo, & non minus apto, aut non magis indisposito vt scietur: hunc mortuum potius quam illum suscitatur, prout illi postulant.

## SECTIO VI.

*Probat, eadem veritas ratione morali.*

Superioribus duabus rationibus addi potest hæc tertia moralis, quam fufius prosequitur Less. lib. de Providentia numinis, præcipue n. 146. & sequentibus. Quod non possit abradi à conscientia hominum, etiam sceleratissimorum, Dei timor ad fulmina & tonitrua. Quod in extremis omnes numen inuocent. Quod vix vlla sit natio tam barbara, quæ Deum non agnouerit, & sacrificijs coluerit. Persuasione scilicet altissime insculpta omnibus, quæ sit magnum veritatis iudicium: cui tempore resistere, totique orbium iudicium anteponeere infanissima est superbia. Quamuis in vero Deo agnoscendo, sub illa confusa notitia numinis, variè à varijs erratum sit. Quod item ex contraria persuasionem, multa sequantur absurda in moralibus. Nam si nullum est Numen, & consequenter nulla Numinis providentia, quæ res humana gubernetur: sequitur primam & fundamentalem veritatem humanæ vitæ instituentem (ab hoc enim incipiendam est, & illud veluti fundamentum præmittendum, sine aliquo Numen, ad quod vt finem vltimum vita sit dirigenda, & actuum nostrorum ratio ei reddenda) aperire potest mortalibus ad omnem vitæ impuritatem, iniquitatem, iniusticiam, omnium denique scelerum turpitudinem, & omninabilem enormitatem. Hæc enim ex tali persuasionem, nec tu numinis sublato, oriri doget experientia, & confirmat Psalmista Psal. 134. Dixit insipient in cordi suo, non est Deus. & abominabiles facti sunt in iniquitatibus. Vnde contrario, quod quilibet Deum magis agnoscat, & vultur seò melior, æquior, & studiosior est. Sequitur etiam solos illos vidisse qui perditè vixerunt, cæcipientibus cæcibus, & inuincibiliter in re maxima errantibus, nec vnquam veritatem circa numinis rationem æsequivalentibus, quæ sanctitate, miraculis, virtutibusque floruerunt. Hi enim omnes Deum numen agnouerunt, & venerati sunt. Horum errorum maximorum bonorum sententem, & fecerit humanæ maxime salutarem: in horum è contrario sapientiam peritiosissimam esse, & modis omnibus occultandam, tanquam venenum animæ, & pestem.

54.  
Tertia de-  
monstratio  
quod Deus  
sit à com-  
muni ho-  
minum in-  
finitu.  
Lessius.

absurda  
quæ sequit-  
ur ex er-  
rore con-  
trario.

46.

& postem Reipublicæ. Denique Deum amare, colere, timere, malum esse per se, & stultum, impium, rectæ rationi aduersum. Contra verò, esse Numiniis contemptorem, pietatisque & religionis expertem, blasphemum, impium, sacrilegum, bonum esse per se & laude dignum, cum veræ doctrinæ de numine, & errori contrario destruendo, contentanum sit. Quæ & similia non modò lumini naturali aduersa, & aliena à veri specie; sed etiam furoris & amentia plena sunt. Quid enim, vt rectè dicit auctor citatus, absurdius fingi potest, quàm primam & summam veritatem, maximamque diuinitatis æcanum, ab hominibus cognitum vel apprehensum, ad omne nefas & flagitium aperire viam, eoque scelestissimos & impurissimos efficere: Contra verò errorem summum circa diuinitatem falsò assertam, inducere homines ad morum sanctitatem, vitamque maximè rationi conformem, & virtutum omnium genere excellentem: quis credat falso & impossibili figmento existentia diuinæ, tantam inesse vim ad omnem virtutem: Solidæ autem veritati tantam illecedam ad omne flagitium & perniciem? Veram & summam sapientiam extinguere omnem virtutem, & homines efficere pessimos: summum verò errorem excitare ad omnem virtutem, & homines efficere optimos: Lucem summam intellectus, summas afferre tenebras animorum; & summas tenebras intellectus, gignere summam lucem & pulchritudinem animorum? Hæc, inquam, omnia furoris & amentia sunt plena. Ita vt nemo nisi amens, his rationibus expensis, possit ex animo negare Deum esse. Vt fileam, quamuis res foret minùs comperitas tamen tutiorem, & prudētissimè ac necessariò præferendam fore persuasionem veri Dei. Quia si nullus esset Deus, nihil foret notiturus ex illo cultu; foret autem, si est, notiturus respectu ipsam agnoscere, contra tot argumenta. Vt enim Regem maximà afficit iniuriâ, qui vel ipsum esse Regem, vel regnum illi ipsi negat; estque reus læsa maiestatis, etsi ex aliquibus coniecturis putet se vera dicere: Ita Deus iniuriòsi maximè sunt, qui ipsum esse negant, contra tot argumenta, quæ paulò superius prosequi visum est: tum quia vniuersa Theologia & Christiana religio in id firmamentum est: tum etiam quia non sunt qui hoc tempore prolabantur in Atheismum, & propter morum corruptionem & mentis hebetudinem in tantam vel affectatam, & propter hæreses huius sæculi, quæ reiectis solidis omnibus fidei firmamentis, & priuato cuiusque ipiritui postpositis, ad Atheismum ducunt. Id etiam Dæmone factante, vt in fine sæculorum, ante secundum Christi aduentum, orbem perdat Atheismo, quem diu ante primum eiusdem aduentum polytheismo miserè demeruerat.

## SECTIO VII.

Nota circa discursus præcedentes: & vtrum existentia sit de Dei essentialis?

Circa discursus præcedentes Nota primo, vt ostendatur Deum esse, non esse opus ostendere totum illud existere quod Deus est, æternitatem, infinitudinem, immensitatem, omnipotentiam &c. Sed satis esse si ostendatur aliquid existere quod Dei proprium sit, quodque Dei nomine intelligatur; cuiusmodi est ratio entis à se, & causæ primæ rerum omnium. Nam alioqui si ostendendum esset quidquid Deus est: quæstio an sit confunderetur penitus, cum quaestione quid sit. Quamquam ex rationibus allatis non solum constat, Deum esse quomocumque: sed insuper esse ens à se, necessarium, intelligens, volens, prouidentem, omnipotentem, &c. quæ tamen attributa in sequentibus disputationibus magis declarabuntur. Nec obest quod non est idem in omnium conceptu esse Deum, & esse ens à se: siquidem Arist. existimauit materiam primam esse ens à se: Nec tamen illam existimauit esse Deum. Nam vt patebit ex sequentibus, idem est in re ipsa, & secundum veritatem, esse Deum, & esse ens à se. Contra eos verò qui hac in parte errarent, perficienda esset demonstratio existentia diuinæ, ex iis quibus inferiùs ostendemus ens à se, vnicum esse, esseque summè potens, summè sapiens, summè bonum, & omnipotens, & causam cæterorum. Quamquam hoc ipsum in præcedentibus discursibus ostensum est, & breuiter quidem, sed efficacitè, meo iudicio, probatum.

Nota secundò, prædictas omnes ratiocinationes non esse à priori, sed à posterioribus nobis notis, neque à causalitate & ab effectis, vel ab incommotis & contrariis sequentibus. Præterquam quod omnes ferè nituntur deductione ad impossibile, quod argumentandi genus à priori non est. Sed neque à priori potest à nobis demonstrari Deum esse. Tum quia Deus non habet causam sui esse, per quam à priori demonstretur: tum quia etiam si haberet; non ita exactè & perfectè Deum cognoscimus, vt ex propriis eius principiis ipsius existentia notitiam assequamur, vt rectè docet S. Thom. art. 2. qu. 2. Loquor autè de esse Dei absolute. Neque enim nego postquam à posteriori demonstratum fuit aliquod attributum; posse per ipsum à priori demonstrari esse aliud: vt v.g. ex immensitate perfectissima ostendimus localem immutabilitatem: & ex omnimoda immutabilitate, æternitatem. Suppono enim, ad ratiocinandum à priori, modo humano, sufficere distinctionem & ordinem rationis inter obiecta, vt rectè docet Suarez disp. 29. Metaph. sect. 3. num. 1.

Quærit autem idem author lib. 1. de es.

55.  
Vt probetur Deum esse sufficit probare dari ens à se, & causam primam rerum omnium.

56.  
Non potest demonstrari à priori Deum esse.

D. Thom.

Suarez.

Existentia  
Et de ef-  
fentia Dei,  
si non est  
ita eius  
essentia.

sentia Dei, Cap. 2. & 3. an esse Dei sit de ip-  
sius essentia, & an sit tota essentia? Sed ex  
dicendis infra de constitutione & perfectione  
essentia diuina constabit, existentiam esse  
de intrinseco & essentiali conceptu essentia,  
cum sit perfectio simpliciter simplex: & es-  
sentia diuina sit talis, vt identice & essentiali-  
ter omnis perfectio simpliciter simplex,  
id est, melior quàm non ipsa, aut quilibet alia  
incompatibilis cum ipsa, cui libet enti vt ens  
sit. Constat insuper existentiam, siue esse præ-  
cisè conceptum, non esse totam essentiam di-  
uinam. Deus quippe essentialiter non tantum  
est ens actu existens; sed & substantia cõm-  
pleta essentialiter, & spiritualis, & intelli-  
gens, & viuens intellectuali vitâ, independ-  
enter & in gradu perfectissimo: vt partim  
testatur in Concilio Lateran. cap. *Firmiter*, &  
cap. *Damianus* partim asseritur Ioan. 4. *Spi-  
ritus est Deus*, & 1. Tim. 1. vers. 17. *Regni saculo-  
rum immortalis & inuisibilis* & Daniel. vi. *Ipsè est  
Deus viuens*, & Rom. 16. *O altitudo diuinarum  
sapientia & scientia Dei*: aliisque Scripturâ tes-  
timoniis facilibus & obuiis: parem denique  
lumine & discursu naturali cuique fat norum  
est, & in sequentibus disput. de perfectione  
Dei, eiusque attributis, amplius declara-  
bitur.

58  
Esse Dei, &  
esse crea-  
turarum,  
quomodo  
differant?

In reia circa esse Dei, & cæterarum rerum,  
id. discriminis notari potest; quod licet in  
ratione essendi confusè sumpta, & abstractè  
conueniant: Deo tamen conuenit esse inde-  
pendenter ab alio, & esse perfectissimè cum  
tota entis plenitudine: quatenus quidquid est  
perfectionis & entis actualis aut possibili-  
lis, id totum, vel formaliter, & eminenter,  
in Deo est, & necessariò est, ita vt non possit  
non esse. Vnde absolute omni essendi tan-  
quam proprium: tribuit sibi Deus Exod. 34.  
*Ego sum qui sum*: & *qui est misit me*. Ipse enim  
verissimè & absolutissimè est. Cum è contra-  
rio, creaturæ, propter dependentiam, & li-  
mitationem, & contingentiam, non sint nisi  
per participationem, & liberat. Dei volun-  
tatem: & alioqui de se ipsis non sint, habent  
antiquè plus negationis, quàm perfectionis  
essendi, cum ita sint vnum quid, vt alia infi-  
nita non sint, nec formaliter nec eminenter.  
Homo enim v. g. homo quidem est, sed non  
est Angelus, neque Leo, &c. vt omniam limi-  
tationem durationis per quam existunt actus,  
quæ in quibusdam breuissima est, cum alio-  
qui tota æternitate antè & post, consistant  
intra limites non essendi.

59.  
Author verò citatus eodem libro 1. cap. 2.  
vt probe existentiam diuinam esse de ipsius  
essentia, hanc rationem affert: Quia diuinum  
esse nullo modo comparari potest ad essen-  
tiam Dei, tanquam actus ab aliqua causa ex-  
trinseca illi collatus, sicut in creaturis com-  
paratur: cum Deus sit à se, id est, à nullo alio.  
Neque potest comparari cum essentia, vt re-  
sultans ex illa, vel secundum rem, vel se-  
cundum rationem: quia vt aliquid intelligen-  
tur resultare ab alio, oportet illud intelligen-  
ti prius aliquo modo, re vel ratione, & vt sic,

esse etiam prius in ratione entis actualis. Hoc  
enim ipso quòd aliquid concipitur, vt resul-  
tans ex alio; concipitur vnum vt radix alte-  
rius, & vt prius sub ea ratione. Resultantia  
autem esse non potest, nisi ab ente actuali &  
existente in rerum natura. Ideòque eo ip-  
so quòd aliquid intelligitur tanquam resul-  
tans ab alio, illud à quo resultare intelligen-  
tur, præintelligitur vt actualis entitas: ab eo  
enim quod nondum concipitur, vt ens actu,  
non potest concipi deriuari aliquod ens ve-  
rum & actuale. Aliam addit rationem verbis  
tantum differentem, quia videlicet essentia  
diuina non potest concipi, nec in potentia ob-  
iectiua, nec in potentia passiuâ, respectu exi-  
stentiæ: ergo, &c.

60  
Verum posterius vtriusque rationis mem-  
brum Deo commune est cum creaturis, in  
quibus similiter existentia non potest compa-  
rari cum essentia, vt cum potentia passiuâ, &  
causâ veluti materiali. Alioqui essentia esset  
concupienda vt actualis, & iam existens ra-  
tione prius quàm existentiam subieceret.  
Circa prius verò membrum vtriusque ratio-  
nis aduertendum est, respectum potentia ob-  
iectiua non obstat, quò minus aliqua ratio  
sit essentialis. Nam gradus omnes essentialis  
creaturarum, qualescunque sint, cum sint  
creati, & à Deo pendentes, sunt omnes in po-  
tentia obiectiua; si purâ, quando nondum  
existunt; siue coniunctâ cum actu, quando  
existunt. Personæ quoque diuinæ existunt es-  
sentialiter, & absolute necessitate, etiam se-  
cundum suas proprietates personales, ratio-  
ne propria perfectionis illarum: licet per-  
sonæ Filij, & Spiritus sancti, illas accipiant  
ab alio, non quidem vt à causâ, sed vt à prin-  
cipio realiter distincto. Quare vt existen-  
tia sit alicui essentialis, non est necesse  
vt illam habeat à se ipsa, id est, à nullo  
alio. Necessarium tamen est, vt ens quod  
à se ipso existit, ita vt à nullo, siue vt  
principio, siue vt causâ, accipiat exi-  
stentiam; sed existat si suæ perfectionis  
sufficientis sibi ad existendum: necessa-  
rium, inquam, tale ens existere es-  
sentialiter. Tum qui existit vt suæ so-  
lius essentia, quæ tantæ perfectionis est,  
vt non possit non existere, neque eget alio à  
quo accipiat existentiam. Tum etiam quia  
talis ens potest bene concipi vt pure pos-  
sibile, sed si vere concipitur, debet concipi  
vt existens. Si enim concipitur vt pure pos-  
sibile, concipitur vt fictitium & impossibile:  
Quia si tale ens non existeret actu, non esset  
possibile: cum neque vi sua posset transire è  
nihilò sui, ad esse actuale: quòd enim non  
est, non potest se ipsum, neque aliud pro-  
ducere realiter & physicè, neque etiam vi  
alterius causæ, vel principij; cum nullum  
sit à quo possit produci. Adde, quòd implicat  
contradictionem esse ens pure possibile, & si-  
mul esse ens à se, id est, existens vi suæ  
propria perfectionis. Quare conceptus  
talis entis, vt pure possibilis, est contra-  
dictorius. Ergo non potest vere concipi

nisi concipiatur ut existens. Illud autem est rei cuiuslibet essentialia, sine quo velut intrinsecè sibi inexistente, nec potest esse, nec concipi, ut docent Metaphysici.

61.

Hæc propositio, *Deus est*, non est nota per se nota. D. Thomas

Dices, si essentia est de essentia Dei; ergo hæc propositio, *Deus est*, est per se nota; etiam quoad nos; contra doctrinam D. Thomæ quæst. 2. artic. 1. ubi distinguens duos genera propositionum; alterum earum quæ secundum se sunt per se nota, quarum scilicet prædicatur immediate & per se, id est, non per aliud, convenit subiecto, unde quantum est ex se, non eger alio medio ut cognoscatur ei competere: Alterum, earum quæ sunt per se nota quoad nos, quia ipsarum veritatem, ex ipsis terminis, sine discursu & sine alio medio, cognoscimus: Hac distinctione præsuppositâ concludit istam propositionem, *Deus est*, esse quidem per se notam secundum se, quia prædicatur immediate convenit subiecto; Deus enim ex se, & per se est, non per aliud; ac non esse per se notam secundum nos, quia non nobis innotescit ex ipsis terminis, sed opus habet declarari per aliud. Atqui si Deus essentialiter existit, dicere Deum esse, idem est, ac dicere, ens essentialiter existens existere: hoc est nobis per se notum, quod ens essentialiter existens existat: ergo est nobis per se notum Deum esse.

62.

Suarez.

Respondeo cum Suarez, libr. 1. cap. 1. de Essentia Dei num. 1. quamvis nomine Dei significemus ens essentialiter existens: non tamen esse nobis per se notum, quod idem sit Deus, & ens verè essentialiter existens: quia nobis per se notum non est, quod verè dicitur tale ens, quodque nomini, *Deus*, respondeat verè à parte rei tale significatum. Undè quando demonstratur veritas huius propositionis, *Deus est*; simul demonstratur significatum illius nominis, *Deus*, esse verum, & non fictum. Sed neque illa propositio, *ens essentialiter existens existit*, assensum elicit ex terminis, & per se, respectu nostri, nisi in sensu tacite conditionato, si nimirum est aliquod ens tale. Nam absolute quod sit aliquod verè tale, quodque Deus illud sit, non est nobis per se notum, quidenter sciamus. Nam quod probabilitè ac verisimilitè terminis earum propositionum assentiri quis possit, luminis naturalis instinctu sine alio medio, non est inficiandum. Alter autem id docet Lessius, libro de Providentia numini capite 2. numero 12.

Non est per se notum absolute ens essentialiter existens.

Lessius.

63.

Quæres, cur existentia non dicatur esse de essentia creaturarum? Nam iuxta Metaphysicos, essentialia est id omne, sine quo tanquam intrinsecè inexistente, res nec esse nec concipi potest. At existentia est talis respectu creaturarum, æque ac alia attributa quæ dicuntur esse illis essentialia. Exempli gratiâ, dicitur esse essentialia homini quod sit substantia corporea, vivens, sensiens, & rationalis: quia impossibile est esse hominem, quin sit intrinsecè substantia corporea, vivens, sentiens, & rationalis. Estque pariter impossibile concipi hominem, quin concipiatur ef-

se intrinsecè substantia corporea, &c. Et denique siue spectetur homo in esse possibili, siue in esse actuali, siue in esse intelligibili, non est possibilis, nisi possit intrinsecè esse substantia corporea: non est actu, nisi sit actu talis intrinsecè: ac denique concipi nequit ut homo, quin concipiatur ut intrinsecè substantia corporea, &c. Atqui similiter non est possibilis homo, nisi sit possibilis existere intrinsecè: neque est actu, nisi actu existat intrinsecè & per se formaliter. Neque potest concipi ut possibilis, vel ut existens actu, quin concipiatur eius intrinsecè & formalis existentia, tanquam possibilis aut actualis: ergo existentia est de essentia hominis, æque ac alia prædicata, quæ dicuntur esse illi essentialia.

64.

Quo sensu existentia dicitur esse de essentia Dei.

Respondeo primò, illius propositionis, quod existentia sit de essentia Dei; & non de essentia creaturarum, sensum hunc esse: quod Deus solus existat vi suâ sola, seu potius ex sufficientia & perfectione suâ essentia, sine dependentia ab illo alio à quo accipiat esse. Ideoque Dei essentia non sit in potentia obiectiva, & indifferenti ad existendum vel non existendum, ut est essentia creaturarum considerata in esse possibili: sed existat ex summa sua perfectione & determinatione essendi absolute necessaria.

Quare existentia non est de essentia creaturarum.

Respondeo secundò, existentiam non significare possibilitatem existendi, hoc enim est ipsa et essentia & prima ratio intrinsecè entis: sed significare ipsum esse actu, & existere in rerum naturâ. Hoc autem non est conceptu necessario creaturæ, quæ potest concipi, & esse, pure possibilis, id est, pure non repugnare ut sit, & esse tamtaxat obiectum potentia actuali, qua produci possit, seu posse ab alio produci ipsiusque beneficio existere. Deus autem non potest rectè ita concipi. Quia non est in potentia obiectiva respectu ullius causæ: à nullo enim alio produci potest. Neque potest esse pure possibilis, aut concipi rectè ut pure possibilis. Quia nisi actu esset ex propria essendi necessitate, impossibile esset, cum à nullo alio possit accipere existentiam.

65.

Addunt aliqui tertio, prædicata essentialia vocari à Philosophis ea quæ sunt ita rei intrinsecè, & de conceptu illius primario intrinsecè, ut faciant propositionem æternæ veritatis in sensu hypothetico, & non nugatorio. Quo pacto intelligendum est, quod vulgè dicitur à Philosophis, essentias rerum creaturarum esse æternas, id est, ab æterno, & in æternum, verum esse quod V. g. si est homo, est rationalis, si est Angelus, est spiritus. Nam qui existimant essentias rerum esse æternas in sensu categorico, id est, se ipsâ fuisse ab æterno: errant apertè contra fidem, quæ docet nihil esse, præter Deum, visibile aut innumèrabile, quod ab ipso creatum non sit: & nihil esse creatum ab æterno. Quare essentia creaturarum non sunt ab æterno, siue in individuo, ut nunc aliqui imaginantur: siue in specie, id est, in suis similibus, quæ fuerint alia ante alia in

D

infinitum ab æterno, sine principio durationis totius speciei, ut falso Aristoteles sensit, existimans mundum, & rerum successione esse ab æterno. At prædicatum existentia non est eiusmodi. Si enim hæc propositio, Homo existit, ita resolvatur hypotheticè, si homo existit, est existens, est propositio nugatoria. Secus autem ista: si homo existit, existit rationalis; si existit Angelus, existit spiritus. Similiter, inquirunt, rectè dicimus rosam acquirere vel amittere existentiam: concipiendo existentiam rosæ, velut illi aduenientem aut pereuntem: quia per has propositiones nihil aliud significamus: quàm rosam incipere aut desinere esse actum in rerum natura. Sed non dicimus rosam acquirere vel amittere esse florem: quia hoc significaret rosam posse esse rosam, aut manere in esse rosæ, absque eo quòd sit flos.

Verùm hæc doctrina licet habeat locum in

multis prædicatis essentialibus, non tamen est vera de omnibus. Nam unicuique rei essentialis est, esse id quod est essentialiter. Quare de vnoquoque potest essentialiter prædicari, id quod est essentialiter. Ergo hæc prædicatio est essentialis, rosa est rosa: nõ minus quàm ista, rosa est flos. Et tamen illa propositio sumpta in sensu hypothetico, est æquè nugatoria, atque ista: Rosa existit. Est enim æquè nugatoriam dicere, si est rosa, est rosa: id est, si existit rosa, existit rosa: ac dicere, si rosa existit, est existens. Quare ut illa doctrina sit vera, debet restringi ad prædicationes essentielles non identicas. Nam de identicis est falsa vniuersaliter.

Aduersus responsum secundo loco datum multa opponunt aliqui Nominales ex suis principiis Dialecticis: sed ea tam leuia sunt, & ad placitum exogitata: ut in illis referendis & refutandis immorari nõ sit operæ pretium.

## DISPUTATIO TERTIA

### De Attributis diuinis in communi.

#### Secio I.

*Quid, & quotuplex sit Attributum diuinum?*

#### Secio II.

*An attributa diuina distinguantur à parte rei vel inter se, vel ab essentia?*

#### Secio III.

*Confirmatur vera sententia pluribus argumentis.*

#### Secio IV.

*Respondetur præcipuis argumentis Scoti.*

#### Secio V.

*An attributa diuina distinguantur saltem ratione vel inter se, vel ab essentia?*

#### Secio VI.

*Impugnatur amplius opinio Nominalium, & confirmatur vera sententia.*

#### Secio VII.

*Respondetur præcipuis argumentis Nominalium.*

#### Secio VIII.

*An attributa diuina, ut præcisè concepta, sint de conceptu essentia diuina?*

#### Secio IX.

*An attributa diuina, ut præcisè distincta per rationem, includantur alia in aliis?*

#### Secio X.

*An attributa diuina, ut distincta per rationem, sint omnia æqualis perfectionis?*

Onstat ex dictis superiori disputatione, Deum esse, & esse eius à se. Iam priusquam de aliis eius Attributis in particulari differamus cum D. Thom. qu. 3. & sequentibus, pauca de illis in communi explicanda sunt. Ac primò, quid Attributi diuini nomine intelligendum sit? Secundo, quotuplex sit Attributum diuinum? Tertio, an & quomodo attributa diuina distinguantur, tum inter se, tum ab essentia? Quarto, an sint de conceptu essentia? Quintò, an se includant mutuo? Sextò, an sint æqualis perfectionis; non solum identice, sed etiam formaliter & præcisè sumpta?